in re, vel in voto, quia nisi de facto fuerit susceptum, necessarium est ad veræ in cõtritionem propositum suscipiendi illud, alioquin non erit vera contritio, cùm non includat propositũ servandi omnia præcepta, quorum unum est de suscipiendo sacramento. Hoc autem non habet locum in proposito de baptismo, quando jam receptum fuit sacramentum, & non debet, nec potest iterũ recipi; quarè concludit, dici debere remissionem originalis, & aliorũ peccatorum præcedentium baptismum, non posse obtineri nisi vel in baptismo, vel in voto baptismi, vel post susceptum baptismum.

160 At planè communis loquendi modus Patrum est, ut remissio hujusmodi peccatorum non concedatur, nisi per baptismum in re, vel in voto, & ita loquitur Trid. *disp. 6. c. 4. & c. 6.* dicit requiri votum, seù voluntatem suscipiendi baptismum, & *sess. 14. c. 1. & 2.* materiam circà quam baptismi, inquit esse peccata antè baptismũ commissa; commissa verò post baptismum esse materiam penitentiæ; Quarè cùm pœnitentia non possit in virtute baptismi illa peccata ante baptismum commissa remittere, quia non est talis subordinatio ejus ad baptismum, fatendum est, vel baptismum ipsum in re susceptum talem conferre effectum, vel contritionem ejus votum involventem, hoc est, desiderium, & propositum illud suscipiendi; quamvis etiam verum sit, quod dicebat Vasq. hoc votum per se non habere aliam influxum præter vim ipsiusmet contritionis; Quando ergò jam susceptum fuit ipsum sacramentum, atque ideò non potest iterùm suscipi, nec haberi votum suscipiendi necessariò dicendum est, per illud ipsum jam præteritum talem effectum obtineri posse, statim ac fuerit sublata fictio, qua anteà fuerat impeditus;

Confirmatur, quia Christus inter remedia nostræ salutis sacramenta instituit, quibus per se ex opere operato remitti possint omnia peccata, & originale, & actualia, & quidem pro remissione actualium post baptismum commissorum instituit pœnitentiæ sacramentum; pro originali verò, & actualibus antè baptismũ commissis ipsum baptismi sacramentum; igitur cùm hoc sacramentum ex sui institutione iterari non possit, & non nisi cum certa dispositione subiecti adultis conferat justificationis effectum, consequenter dicendum est, ita instituisse, ut si quando ob indispositionẽ suscipientis frustretur suo fine, illũ postea sortiri possit, recedẽte obice, & homine se disponente. Nec valet dicere cum Vasq. illa peccata remitti per accidens per gratiã, quę datur in pœnitentia, quæ per se quidem remittit fictionem, per accidens verò quicquid repugnat gratię, quale est originale, & reliqua, quę antecedũt baptismum. Non valet, inquam, quia Conc. *loc. cit.* docet necessitatem baptismi, ut est medium in re, vel in voto requisitum ad justificationem; cum ergò dicat, originale non remitti, nisi per baptismum in re, vel in voto, supponit, nullum aliud medium remanere pro ejus remissione, aliàs possent alia quoq; media excogitari, quæ in tali casu valeant, ut v. g. circumcisio, vel remedium legis naturæ, quòd non alia ratione negatur, nisi quia hæc efficacia soli baptismo tribuitur in re, vel in voto, tàm à Scriptura, quàm à Conciliis, & Patribus, ac proindè quodcumque aliud remedium excluditur, quàm rationem late prosequitur Hiquæus.

161 Quintò arguit, quia recedente fictione jam baptismus non est, sed transiit, ergò non potest aliquid in anima causare, & per consequens nec aliqua peccata delere, recedente fictione.

Confirmatur, quia si recedente fictione baptismus deleret peccata ante illũ commissa, & sacramentum pœnitentiæ peccata post baptismum commissa, sequeretur, dividi veniam peccatorum, nam neutrum sacramentum tribueret perfectam veniam peccatorum, sed dimidia haberetur ab uno, & dimidia ab altero.

Respondeo patere ex superiùs dictis, quòd sacramenta dicuntur causare gratiam, non ut causæ physicæ, sed ea ratione, quà movent Deum, ut causę morales ad producendam gratiam; baptismus itaq; quando receptus fuit, obligavit Deum ex pacto ad hoc, quòd gratiam conferret sublata fictione, atq; in hoc sensu gratia, quam Deus confert ablata fictione, dicitur esse effectus baptismi jam præteriti in genere causę moralis, quod sic declarat Doctor infrà lit. C. sicut enim Deus signo suo, nempè sacramento, primo astiterisset ad causandum, vel dandum effectum ejus, idest, gratiam, quando sacramentum suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum, idest, fictio, in suscipiente; ita paratus est semper post signi, idest, sacramenti susceptionem assistere ei, qui illud suscepit, ad causandum effectum ejus, quando cessat impedimentum; atque adeò ablata fictione baptismus eundem habet effectum, quem habuisset, nisi fictio fuisset apposita.

Ad Confirmationem negat Doctor sequelam, quia etiam in tali casu habetur à Deo tota venia peccatorum, & non dimidia, licèt non tota per baptismum, nec tota per pœnitentiam, sed partim per unum, partim per aliud sacramentum; undè aliud est, neutrum sacramentum per se habere vim remittendi omnia peccata; aliud tũc haberi dimidiam peccatorum remissionem; primum verissimum est, quia non ad omnia peccata delenda quodlibet sacramentũ ordinatur; alterum verò falsum est, & impossibile, quia implicat, unum mortale sine alio remitti; & ideò in eo casu nec pœnitentia delere potest peccata post baptismum commissa sine baptismo, remittente peccata ante ipsum patrata; neque è contrà baptismus delere potest peccata ante ipsum commissa sine pœnitentia, delente peccata baptismum subsecuta; undè ambo sacramenta simul delent peccata, quæ ad se pertinent, quam mutua dependentia unius ab alio, ut declaratum est nu. 154. nam baptismus simul cum contritione, vel pœnitentia concurrit ad producendam gratiam omnium illorum peccatorum remissivam, eadem enim gratia, ut remissiva peccatorum antè baptismum est à baptismo; ut remissiva peccatorum post baptismum est à pœnitentia, vel contritione,

162 Sextò tandem arguitur, quia si baptismus haberet suum effectum gratiæ recedente fictione, sequeretur, maiorem habere gratiam fictum pœnitentem, quàm si sine fictione baptismum suscepisset; sed hoc est falsum, quia prodesset ei fictio, & ex fictione commodum reportasset; sequela probatur, quia si non fuisset fictus, & post baptismum debitè susceptum similia peccata commisisset, & peniteret de illis, non consequeretur tantam gratiam, quantam modò recipit, quia fuit fictus, quandoquidem consequeretur præcisè illam gratiam, quæ virtute pœnitentiæ conferri solet; ille verò, qui fuit fictus, ultrà gratiam virtute pœnitentiæ collatam, aliam quoq; consequeretur virtute baptismi. Confir. quia nullum peccatum, quod post baptismum inest homini, potest absq; pœnitentia deleri, quæ est secunda tabula post naufragium; sed alia quoq; peccata etiam antè baptismum commisa cum fictione susceptum insunt homini ficto post baptismum; ergo hæc quoque peccata nõ nisi per pœnitentiã deleri possunt, atque ita baptismo reviviscenti ablacta fictione nihil delendum remanet.

Resp. Doct. infrà lit. E. negando consequentiam, quinimò accedens ad baptismum cum fictione maximum ex tali fictione reportaret incommodum, & detrimentum; nam toto illo tempore post fictionem usque ad pœnitentiam esset filius Diaboli, & gehẽnæ, & omnia opera eius sunt nullius valoris si autem non fuisset fictus, fuisset filius Dei, & regni, quoadusque peccaret mortaliter, & opera eius bona fuissent meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, atque ita maiorem gratiam haberet, quàm sit illa, quam consequitur, dùm de fictione pœnitet, tàm virtute baptismi, quàm pœnitentiæ; Aliam quoq; addit Doct. solutionem, quæ dependet ex dictis *lib. 2. disp. de Justificatione in quæst. de meritorum reviviscentia.*

Ad Confir. inquit Doctor ibidem, quòd illa maior, scilicet; nullum peccatum, quod post baptismum inest homini, potest absque pœnitentia deleri, debet intelligi de peccato commisso post baptismum, vel omino inhærente, idest, quod de ipso nec fu erit contritio, nec attritio, in baptismo, nec post baptismum; ubi Doctor nõ loquitur de inhærentia habituali peccati, eo modo, quo influit antè baptismum, sed de inhærentia actuali per complacentiam, hoc est, de inhęrentia per continuationem, & voluntarium consensum non autem per solam maculam habitualem, quia sic etiam reliqua antè baptismum commissa inhærent antè, & post baptismum cum fictione susceptum, ut declaratum est suprà n. 151. peccata autem antè peccatum commissa, quæ causam fictioni non dederunt insunt, & inhærent homini etiam post baptismum, quousq; tollatur fictio, inhærentia sola habituali, & per maculam habitualem, non autem per continuationem, & complacentiam, & ideò malè deducitur, quòd non possint, nisi per pœnitentiam deleri.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *An cętera sacramenta gratiam conferant recedente fictione.*

163 Hic quæri solet; an etiam cætera sacramenta gratiam conferant recedente fictione; vel hoc sit peculiare Baptismi privilegium; in qua difficultate dici potest, tot esse sententias, quot capita, adeòut Amicus *d. 4. de sacram. in communi*, & Lugo *d. 9.* sex de hac referant sententias; nam alii hoc affirmant de solo baptismo; alii de omnibus in universum; alii de quibusdam aliis sacramentis ultra baptismum, sed non de omnibus, & præsertim de pœnitentia, quam putant, informem dari posse, sicut datur baptismus, nam in ea opinione de pœnitentia informi peccata fictè confessa non tenemur ampliùs confiteri, cùm semel validè clavibus subiecta sint; ergo ne remaneant sine ullo sacramenti remedio perpetuò irremissibilia, debent virtute prætetitæ confessionis, cùm primum recedit fictio, remitti.

Communior, ac probabilior sententia est, hoc privilegium convenire omnibus sacramentis, characterem imprimentibus, ac proindè non solùm Baptismo, sed etiam Ordini, & Confirmationi cõcedi debere, quæ nullo modo iterari possunt, quod præsertim ex nostris docuerunt Bassolius, Poncius, Brancatus, & alii Recentiores, & colligunt ex Scoto 1. *d. 2. q. 5. § contrà istam opinionem vers. quartò arguitur in fine*, ubi negat per alia sacramenta imprimi ornatum characteri similem, quia aliàs recedente fictione causarent suum effectum, scilicet, gratiam, cùm remaneret dispositio ad eam & probant, quia non alia ratione hoc conceditur baptismo, nisi quia imprimit characterem, qui est dispositio ad gratiam ex Dei institutione, eamque operatur recedente fictione; ergo cùm etiã Ordo, & Confirmatio characterem imprimant, idem de ipsis assẽ-

rendum



rendum erit; Sed quamvis hæc ratio sit probabilis, non tamen omninò convincit, nam quòd hæc quoque sacramenta iterari non possint, id non probat, nisi de baptismo, cujus tantùm gratia est ad salutem necessaria, & per aliud sacramentum suppleri non potest, ut visum est suprà: horum verò sacramentorum gratia nec est ad salutem necessaria, cùm non sit ad remissionem peccatorum mortalium per se ordinata; & per alia sacramẽta haberi potest; Neque character est dispositio adeò necessariò causativa gratiæ, ut impedimento remoto, statim gratiam causet; & hoc etiam negat ipse Doct. *dist. 4. q. 5. infra C.* de charactere ipsius baptismi, dùm inquit; oportet dicere, characterem in ficto aliquid operari, sed solùm quòd Deus ex eadem pactione assistit etiã posteà ei, qui baptismũ suscipit, ad causandum effectum, quando obex tollitur; hæc Scot. quibus innuit, characterem, licèt sit dispositio ad gratiam, tamen in rigore loquendo non esse formam, ex qua proximè conferatur gratia, sed hanc conferri immediatè per ipsum baptismum; non enim se habet sicut naturalis forma, quæ si aliquando impediatur ab aliquo suo effectu in dicendo, statim posteà tali impedimento remoto producit effectum suum, sed sufficit solus influxus moralis, qui æquè benè potest haberi ex ipso baptismo præterito, inquantum ob illius exhibitionem Deus ex pacto, & promissione sua ablato obice gratiam infundit; & hoc etiã modo character ipse dici potest, se habere, tanquam forma, vel dispositio moralis.

164 Confirmatur, quia potior ratio, cur baptismus inter alia sacramenta hoc habeat privilegium cõferendi gratiam recedente fictione, non est, quia characterem imprimat, sed quia est mediũ ad salutem necessarium, scilicèt, ad remissionem originalis culpę, & peccatorum mortalium antecedentium; quarè cùm semel susceptus iterari non possit, ne præcludatur via salutis, necessariò dicendum est, eundem baptismum cum obice susceptum, habere posteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atque adeò conferendi gratiam justificantem; & hæc est ratio, quam Doctor adducit *4. dist. citat. q. 5. sub lit. B.* Hæc autem ratio non procedit de Confirmatione, & Ordine, quamvis characterem imprimant, quia nec sunt sacramenta necessaria ad salutem, nec per se instituta ad peccatorum remissionem.

Hac de causa Aversa *q. 72. sec. 4.* & alii nituntur id probare alia peculiari ratione, quia nempè Confirmatio est medium valdè utile, & opportunum ad roborandum animam in fide, ad superandas tentationes, & persecutiones contrarias, & est per se instituta ad conferẽdum vigorem spiritus, veluti perfectæ ætatis; Cùm ergo semel susceptą non possit iterùm suscipi, si tũc non cõtulit talem effectum, & nũquam ampliùs conferre possit, fraudabitur homo penitùs tali subsidio; quarè multò magis congruũ divinæ pietati, & Christi institutioni erit dicere, talem esse vim huius sacramenti, ut posteà remoto obice valeat quoque suum conferre effectum. Verùm si hæc ratio valeret, æquè probaret de omnibus aliis sacramenti, etiam characterem non imprimentibus; nam Matrimonium, verbi gratia dignè susceptum habet vim conferendi nõ tantùm gratiam, sed etiam peculiare auxilium ad onera matrimonii sustinenda; cùm ergo iterari non possit antè mortem unius ex conjugibus, si ab initio talem effectum non contulit, quia aliquis coniugum matrimonium in peccato contraxit, durante illo matrimonio toto illo tẽpore fraudabitur homo penitùs tali subsidio.

165 Itaque illa ratio si quid probat, solùm probat de gratia sacramentali, non autẽ habituali; omnia nimirùm sacramenta recedente fictione operari saltem gratiã sacramentalem, quod est satis probabile; hæc enim, ut dictum est disp. præc. consistit in quibusdam auxiliis ad finem sacramẽti meliùs consequendum ordinatis, quæ cùm sint propria uniusculusque sacramenti, non possunt haberi saltem cũ ea certitudine, infallibilitate, & abundantia per alia sacramenta; quarè probabile est, ut recedẽte fictione, & gratia habituali recuperata per alia sacramenta, conferantur virtute sacramenti iam præteriti; ut si quis matrimonium in peccato contraxit, gratiã non accepit; cõdonato verò posteà peccato per cõfessionem, vel cõtritionem, & gratia habituali recuperata ejus virtute, cõferatur posteà illi virtute præteriti matrimonii peculiare auxilium ad onera matrimonii sustinenda. Imò dicunt aliqui, quòd estò hæc sacramenta gratiã habitualem non causent ablato obice, causant tamen gratiam sacramentalem, nedùm ablato obice, sed etiam eodem durante; & ratio est, quia sacramentalis gratia nõ est gratum faciens, neque oppositionem habet cum peccato, & ideò potest stare cũ mortali; alioquin ablata ab aliquo gratia habituali per peccatum, hic etiam amitteret gratiam sacramentalem, quæ in auxiliis specialibus consistit ad finẽ cujusque sacramenti ordinatis; & sic existens in mortali auxilia non haberet ad validè consecrandũ, absolvendum, ad prædicandum illi etiam coram Tyranno, ad patienter ferendum onera matrimoni; hoc autem asserere nimis duum videtur, ac nimis coarctare immensam Dei beneficiẽtiam, & pietatem; Ita Branc. *disp. 11. art. 4.* cum aliis, quod etiam videtur satis probabile; si enim Deus infixo in limo profũdi peccatorum auxilia gratiæ non denegat, nec etiam fortè denegabit ei, qui aliquod sacramentum suscepit, licèt indignè.

166 De sacramento Matrimonii, & extremæ Unctionis hoc idem asserunt alii, quòd, scilicèt, gratiam conferant ablato obice, & ferè eadem ratione, quia hæc etiam aliquo modo sunt irreiterabilia, licèt characterem non imprimant, nam Matrimonium iterari nequit antè mortem unius ex conjugibus, nec extrema Unctio in eadem infirmitate iterari potest, undè de his dicunt, esse eandem rationem quoad hoc, ac de aliis tribus characterem imprimentibus. Sed in primis hæc duo sacramenta sunt simpliciter iterabilia, quod illis tribus characterem imprimẽtibus nullo modo convenire potest; Et quidem extrema Unctio etiam in eadem infirmitate iterari potest, ut notat Brancatus loco citato, & nos suo loco dicemus, si enim finis hujus sacramenti est reliquias peccatorum ab ægroto abstergere, dato casu, quòd infirmitas duret per annum, sitque tet in periculo vitæ, planè irrationabiliter huic ægro adjutorium illud abstersivum denegaretur. Deindè dato etiam, quòd hæc sacramenta sint aliquo modo irreiterabilia, jam diximus, etiam in sacramentis simpliciter irreiterabilibus, qualis est baptismus, non esse irreiterabilitatem solam præcipuam rationem, cur sacramentum ablato obice gratiam conferat, sed quia cum irreiterabilitate est medium ad salutem simpliciter necessarium, quod de his duobus sacramentis affirmari non potest.

167 Deniq; de Eucharistia omnes ferè conveniunt, semel cum obice susceptam peccati mortalis, gratiam posteà nõ conferre ablato obice, qua de causa dixit Apostolus, eam indignè suscipientẽ & in peccato judicium sibi manducare, & quidem maxima irreverentia Christo Domino exhibita sub sacratis speciebus contento meritò exigere videtur, ut tale sacramentum ab initio indignè susceptum, nec tùm, nec posteà ablato obice gratiam conferat; præsertim cùm possit iterum dignè sumi in ordine ad consequendam similem gratiam, qualem conferret, nisi fictio adesset. De Pœnitentia verò negat expresè Doct. loco cit. *4. dist. 1. qu. 5.* posse gratiam conferre ablato obice, ubi in fine illius *§. contrà istam opinionem*, inquit, quòd in ficte pœnitente cessante fictionem nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ; alioquin non oporteret, talem fictè confessum de eisdem peccatis aliàs confiteri. Neq; fundamentum oppositæ sententiæ relatum ab initio quęsiti *n. 163.* est alicujus momenti, quia ut fusiùs dicemus infrà *disp.* de Pœnitentia, falsum est, dari posse informem, sicut dari potest baptismus, quia in pœnitentia non potest dari fictio, quæ impediat gratiam, & simul non impediat validitatem ipsius, sicut de baptismo contingere potest; confessio enim ex celatione alicujus peccati scienter dimidiata non est valida, nec pars sacramenti pœnitentiæ, hæc enim manifestationem exigit omnium peccatorum pœnitentis, & eam ita dimidians tenetur iterum omnia confiteri, quia ex defectu materiæ sacramentum non fit, ut loco citato dicemus; confessio enim non integra ex certa malitia non est materia valida pœnitentiæ.

168 Dices, non minùs necessaria est pœnitentia post peccatum personale, quàm baptismus post originale; sicut enim ad remissionem hujus requiritur baptismus in re, vel in voto, ita ad remissionem illius pœnitentia in re, vel in voto: ergo sicut ob hanc necessitatem baptismus recedente fictione causat suum effectum: ita quoque pœnitentiæ sacramentum.

Resp, negando consequentiam, quia pœnitentia iterari potest, non verò baptismus, atq; ita duplici necessitati sufficienter à Deo provisum est, sed diversimodè, in casu fictionis; nam necessitati gratiæ baptismalis provisum est in tali casu, conferendo illã virtute baptismi, recedente fictione, necessitati verò gratiæ pœnitentialis provisum est, instituendo pœnitentiæ sacramentũ iterabile.

Dices è contrà, nullum sacramentum fictè susceptum gratiam conferre recedente fictione, quia opera mortua nunquam per pœnitentiam vivificantur; atqui sacramentum indignè susceptum est opus mortuum; ergo nunquam reviviscere potest.

Resp, ex Doct. loco citato aliud est loqui de sacramento indignè suscepto, aliud verò de indigna ejus susceptione; hæc quidem ut est opus hominis, est opus mortuum, atq; etiam mortifetum, ideòque reviviscere nequit; ipsum tamen sacramentum est opus Christi in se vivum, & sanctum, & ex meritis Christi habet vim sanctificandi, quam statim exerit, ablato impedimento, ideòque recedente fictione per pœnitentiam, cùm baptismus susceptus nõ fuerit opus mortuum, quia fuit opus Dei, & Christi Domini, & non nostrum, per ipsum baptismum delentur omnia peccata antè ipsum commissa; fictio autem ipsa, quia non præcessit, sed fuit cum baptismo, deletur per pœnitentiam, & confessioni subjicitur ac satisfactioni, sicut alia peccata baptismum subsequenta.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

### *An sacramentum baptismi per contritionem, & martyrium suppleri possit.*

169 Celebris est divisio illa baptismi apud Patres, & Scholasticos in baptismum fluminis, seù aquæ, quod solùm est proprie sacramentum, de quo agimus in hac Disputatione; Flaminis, qui etiam contritionis baptismus appellatur, & est perfecta

in Deum

in Deum conversio, includens votum baptismi fluminis. Et Sanguinis, quod est martyrium pro Christo perpessum. De primo dicitur Joan. 3. *Venit Jesus in terram Judæa, & baptizabat.* De secundo legitur Actorum 1. *Vos autem baptizabimini Sp. S. non post multos hos dies.* De tertio Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Hinc tamẽ nõ sequitur, ut notat Glossa *c. baptismi vicem de Consecrat. dist. 4.* tria esse baptismata sacramenta, quia baptismus fluminis tantùm est proprie sacramentum, qui est unicus in essentia, & specie atho ma juxtà illud Pauli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, quem locum de unitate specifica interpretatur ibi Chrysostomus; reliqua verò duo non sunt proprie sacramenta, quia ut Glos. loquitur, non fiunt accedente verbo ad elementum, sed vicem tãtùm sacramenti, supplendo per cordis contritionem, vel sanguinis pro Christo effusionem, quia sic inquit glossa, mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel sanguinis effusionem, sicut per lavacrum baptismi; Quæritur ergo in præsenti, quomodo uterque baptismus, scilicèt; flaminis, & sanguinis, de quibus etiam loquitur Scotus 4. *dist. 4. qu. 3. §. Dicitur*, possit supplere vicem sacramenti, nempè baptismi fluminis conferendo gratiam.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Qualiter suppleri possit sacramentum baptismi per contritionem.*

170 PRimò dicendum est, baptismum in re non esse adultis simpliciter necessarium ad consequendam primam gratiam, & remissionem peccatorum, sed sufficere contritionem in se votum baptismi continentem. Hęc est communis inter Catholicos, & ex Scoto deducitur 4. *dist. 4. qu. 6. ab initio.* Et probatur in primis ex illis Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio hominibus vere pœnitentibus, ut Ezech. 18. *si egerit pœnitentiam impius, vita vivet. & non morietur. & cùm averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit*, ex his; inquam, & similibus Scripturæ locis constat, perfectà contritionem esse sufficientem, & ultimam dispositionem ad gratiã sanctificantem, quæ contritio utiq; haberi potest ab homine adulto antè realè baptismi susceptionẽ, cũ voto tamen suscipiendi, & hoc constat ex Actorũ 10. ubi legitur, Corneliũ Centurionem antè baptismi susceptionem fuisse justificatum, & alios quoq; superquos dicebatur Sp. S. cecidisse, antequam baptizati essent. Quod autem ait Brancatus *disp. 13. ar. 5.* non benè ex *loc. cit. cit.* assertum hoc probari, quia in his, & similibus Scripturæ locis non fit mentio, voti baptismatis, quod tempore Ezech. necessarium non erat; parum urget; quia per hoc tantùm probare intendimus, perfectam contritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam, & posse haberi ante susceptionem baptismi.

171 Deinde probatur ex Concil. Trid. *sess. 6. c. 4.* ubi ait, post evangelium promulgatum neminem transferri, à statu peccati ad statum gratiæ sine lavacro regenerationis, & ejus voto; Trãslatio, inquit, ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statũ gratiæ, & adoptionis filiorum Dei post evangelium promulgatũ sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest; Quibus verbis apertè supponit, justificationem fieri nõ solùm per baptismum fluminis, sed etiam flaminis, qualis est contritio, votum baptismi includens; & hoc sensu exponit illud Jo. 3. *nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Sp. S.* Rursus probatur ex definitione Ecclesiæ, & Patrum doctrina, quorum testimonia citantur apud Gratianũ de *consecrat. d. 4.* per plura capita; & præsertim *c. ad apostolicam*, de Presbytero non baptizato, habetur, posse hominem salvari per baptismum in voto; ex Patribus verò præclarum inter alia est D. Bernardi testimonium *epist. 77.* ubi exponens illud Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, observat satis acutè, ideò non repeti, *& qui non baptizatus fuerit*, quia nempè fides cum aliis conditionibus etiam sine reali susceptione baptismi, potest interdum ad salutem sufficere. Taudem probatur ratione, quia Deus in lege nova per sacramentorum institutionem viam salutis non coarctavit, aut præclusit, quin etiam per propriosactus ex opere operantis justificari possent, & salvari, ut in lege antiqua fiebat; quare sicut homo baptizatus mortaliter peccans per actum contritionis, & votum sacramenti pœnitentiæ justificari potest antè realem ejus susceptionem; si pariter per eundem actum justificari potest, votum baptismi includentem antè realem ejus susceptionem.

172 Secundò dicendum est, licèt regulariter loquendo votum baptismi esse debeat explicitũ; tamen in aliquo cãsu sufficere votum baptismi in actu contritionis inclusum, & non necessariò requiri explicitum, sed implicitum sufficere; Hæc etiam est cõmunis, & probatur eam explicando, nam votum baptismi potest esse duplex, explicitum, & implicitum; explicitum est, quãdo adultus non sotùm de suis peccatis contritionẽ habet cũ proposito generali servandi deinceps omnia, & singula præcepta, sed etiam cum speciali proposito baptismum suscipiendi, quod haberi nõ potest sine fide, & cognitione baptismi. Implicitum verò est, quod in ipsa cõtritione, & generali proposito omnia mãdata servandi cõtinetur, & hoc dicimus, ad justificationem sufficere, quod indicavit Tridentinum *sess. 15. c. 4.* ubi dicit, perfectam contritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam; in ea autem includitur votum baptismi saltem implicitè, quia includitur propositũ servandi omnia mãdata, & adimplendi omnia ad salutẽ necessaria ac etiam alia quadam peculiari ratione posteà explicanda *n. 175.*

Neque placet, quod dicunt aliqui sufficere quidem implicitũ baptismi vocatũ in iis, qui notitiã baptismi non habentalis, verò talem notitiã habentibus non sufficere, sed necessarium esse votũ explicitum, quia qui habent baptismi notitiam, tenentur, quàm primùm possunt, illũ suscipere, atque ideò habere expressum propositum suscipiendi. Et adhuc magis displicet, quod ait Brãcatus *art. 5. cit. n. 46.* ubi contendit universaliter, & sine ulla exceptione tale votum baptismi debere esse explicitum. Displicet, inquam, quia ut benè instat Becanus *c. 10. q. 10*, sicut carens notitia baptismi excusatur ab expresso voto propter ignorantiam, quod Brancatus omninò negare non potest; ita ejusdem notitiã habens propter actualem incõsiderationem ab ejusdẽ voti expressione poterit excusari; fieri enim potest, ut aliquis nihil de baptismo cogitãs ad contemplationẽ divinæ bonitatis, & suorum peccatorum detestationem subitò excitetur, & ex illa consideratione ad verã dilectionem, & contritionem moveatur, & planè in tali casu sine expresso baptismi voto utique justificabitur. Confirmatur, quia si prædicta de causa, nempè quia habet notitiam baptismi, tenetur quis habere expressum illius votum, quia qui talem habet notitiã tenetur illum suscipere, quàm primùm potest; sequeretur, quòd eodem modo teneretur pariter habere expressum propositũ restitutionis, & singulorum præceptorum Dei; qui enim notitiam eorum habet, tenetur ea servare, quàm primùm potest; hoc autem est falsum, quia quamvis Cathecumenus ad aliquam tenetur restitutionem, non tamen tenetur expresse tale propositum restituendi habere, quando justificatur; sed sufficit generale propositũ omnia mãdata servãdi, siquidẽ ex vi talis propositi perseveratis, sequetur suo tempore restitutio, & aliorum peccatorum observatio.

173 Tertio dicendum est, quòd esto perfecta animi cõtritio vicem baptismi supplere possit quoad remissionẽ peccati tàm originalis, quàm personalis, nec non quoad gratiæ infusionem, non tamen in omnibus, nec eodem omninò modo supplere potest; Hæc etiam est communis, & probatur eam explicando; nam in primis non semper vices baptismi supplet quoad pœnæ relaxationem; quamvis enim suppleat quoad æternæ pœnæ condonationem, non tamen quoad totius tẽporalis pœnæ relaxationem, nam sæpè contritio illius perfectionis gradũ non attingit, quo contritus mereatur totius pœnæ temporalis cõdonationem; cùm enim pœnæ temporalis condonatio, in quam virtute justificationis commutatur ęternæ, fiat in contritione per modum condignæ satisfactionis; quando contritio non attingit talem gradũ perfectionis, ut sit satisfactio adæquata pro tota pœna tẽporali, in quam ęterna est cõmutata, planè in tali casu vicẽ non supplet baptismi quoad totius pœnæ relaxationem. Deinde nunquam supplet, imò nec supplere potest quoad characteris impressionem, hic enim non nisi à sacramento imprimitur; alioqui qui sola contritione semel justificatus fuit, non ampliùs teneretur, imò neque posset sacramentũ suscipere baptismi, cùm hoc ab habẽte Characterem suscipi non possit, ratione cujus iterari nõ potest; Ex quo sequitur, quòd si sola justificatus contritione decederet absque baptismo, & posteà ad vitã revoceretur, illum teneri ad baptismum suscipiendi, quia in illo contritionis actu votum saltem implicitũ habuit suscipiendi baptismum, quoties commoditas se offeret, quæ obligato per mortem non extinguitur in eo, qui ad vitam revocatur; qua ratione etiam Cathecumenus per martyrium justificatus, si post mortem denuò reviviscere, teneretur ad baptismum suscipiendũ. ut advertit Amicus *disp. 12. sec. 1.* Denique quamvis perfecta contritio in adulto vices baptismi suppleat in gratiæ collatione, nõ tamen eodem modo, quia sacramentũ baptismi gratiam confert ex opere operato, & homo per cõtritionem justificatus absolutè dicitur ex opere operantis justificati, non autem ex opere operato, quamvis contritio votum baptismi includat; nullum enim sacramentũ gratiam confert ex opere operato, niũ actu, & reipsa susceptum, ut dictum est *disp. 1. de sacramentis in genere q. 10. art. 1. nu. 341.*

174 Quattò tandem ex dictis infertur, quòd si quis citrà mortis articulum veram habeat fidem, & contritionem, antequam copiam habeat, & commoditatem baptismum suscipiendi, ex tũc justificabitur, licèt posteà teneatur procurare, & baptismum suscipere opportuno tempore; si verò propinquus, non possit antequam decedat baptismum consequi, habeat autem perfectam contritionem, seu Dei dilectionem, ac votum suscipiendi baptismum saltem implicitum, & virtuale per generale propositum adimplendi omnia, quæ sunt ad salutem necessaria; hic omninò in virtute talis contritionis salvabitur, & justificabitur, & hæc ipsa interior contritio cum voto sacramenti appellatur Baptismus, & proprio vocabulo dicitur baptismus Flaminis, ad differentiam Baptismi Fluminis, hoc est, aquæ.

In oppositum urgeri possunt quædam Patrum testimonia asserentia, omninò ad salutem requiri baptismum fluminis, nec sufficere internam hominis dispositionem juxtà illud Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, ubi sine dubio Christus de solo aquæ baptismo loqui videtur. Accedit etiam ratio non spernenda, quia si baptismus non est necessarius, nisi in voto, & sufficit etiam votum implicitum in contritione inclusum, ut supradictum est, jàm non esset magis necessarius, quàm aliorum præceptorum observatio, quia utique necessarium est votum omnia mandata servandi, alioquin perfecta contritio non esset; hoc autem modo non plus dici deberet homo per baptismum in voto justificari, quàm per quącumque alia præcepta in voto.



175 Respond. auctoritatem illam Jo. 3. *nisi quis renatus* &c. explicari à Trid. *sess. 6. cit. cap. 4.* de necessitate baptismi in re, vel in voto, itaut non sit sufficiens interna dispositio, nisi sit perfecta continens votum baptismi, sicut oportet, & ita sunt etiam intelligenda loca Patrum, vel etiam explicari possunt de necessitate baptismi in re ad perfectam, & completam peccatorum remissionẽ, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad totam pœnam, quia contritio, ut diximus, non semper supplere potest baptismi vices quoad totius pœnę relaxationem; Ad rationem plures plura dicũt ad ponendum aliquod discrimen inter votũ baptismi, & propositum servandi alia præcepta, Alii verò gratis concedunt, nullũ interhæc esse discimen, & contritionem non magis includere votum baptismi, quàm restitutionis, aut alterius præcepti obligãtis, atque ideò sicut contritio non censetur gratiam cõferre, vi restitutionis, aut alterius præcepti, ita nec vi baptismi; ita Becanus *c. 11. de sacramentis in specie q. 9. n. 7.* Sed planè negari non potest, quin specialiori quodã modo dicatur homo justificari per baptismum in voto, quàm per quącunque alia præcepta in voto, & ideò inter hæc duo quidad discrimẽ assignari debet; sicut à pari extrà sacramentũ pœnitentiæ dicitur homo justificari posse à mortalibus per contritionem perfectam, non utcumque, sed ut tale sacramentum, in voto, vel votũ talis sacramenti includentem, sic enim loquitur Trid. *sess. 14 c. 4. si contritionem perfectam esse contingat, hominẽque Deo reconciliare, priusquã hoc sacramentũ actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationẽ ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*; Quare dicendum puto cũ Aversa *q. 66. sect. 2. in fine*, quòd quamvis verũ sit ad justificationem esse pariter necessariũ hoc propositũ generale servandi alia præcepta, eãque obtineri per hoc votum, & propositum in perfecta contritione, vel dilectione Dei inclusum, specialiter tamen baptismus dicitur necessarius, & homo specialiter dicitur justificari per baptismum in voto, quàm per votum cujuscumque alterius præcepti, quia Baptismus institutus est, non solùm tanquam necessarius necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, ut dictũ est suprà, hoc est tanquam medium per se ordinatum ad salutem; Et quia votum seũ voluntas, & propositum fertur in unumquodque obiectum, sicut est; ideò fertur in baptismũ, non solùm tanquam impositum sub obligatione præcepti, sed tãquam in medium etiam institutum ad justificandum ab originali, & actualibus antè baptismũ commissis; & hac de causa specialiter dicitur homo justificari in voto baptismi, vel per baptismũ in voto potiùs, quàm per votum restitutionis, vel alterius præcepti; & idem dicemus de casu mãẽro pœnitentiæ pro justificatione à mortalibus post baptismum commissis *disp. 5. de pœnitent. q. 5. art. 3.*

176 Deindẽ arguit Brancatus *loc. cit. disp. 13. art. 5. n. 46.* contrà nostrum secundum assertum, probans, votum baptismi, ut suppleat baptismum in re, debere esse explicitum, & non sufficere implicitum; quia ex Trid. requiritur votum baptismi; ergo explicitum; probatur consequentia, vult Concilium declarare necessitatem baptismi, & subiectionem ad eũ post Evangelii promulgationem; ergo votum eius explicitum desiderat, alioquin intentũ suum non haberet Concilium in extollenda baptismi necessitate. Confirmat id ex verbis iam Concilii relatis *sess. 14. c. 4.* ubi loquẽs de necessitate pœnitentiæ, & eius supplemento dicit, si contritionem perfectam esse contingat, & hominem Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiat, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; ergo si ulterà charatitatem perfectam per Concilium requiritur aliquid aliud, votum implicitum in charitate contentum non sufficit.

Resp. negando consequentiam, tàm principalis argumenti, quàm probationis eiusdẽ; nam maior necessitas voti baptismi ad justificationem requisita extrà sacramentum, quàm voti cuiscũque alterius præcepti, non debet attendi penès hoc, quòd votum baptismi esse debeat explicitum, cætetorum verè implicitũ sufficiat, nam perfecta contritio est sufficiens dispositio ad gratiã, & in ea includitur votum baptismi, quia includitur propositum servandi omnia præcepta, & adimplendi omnia necessaria ad salutẽ; ut ex Concil. colligitur loco citato, quæ sanè inclusio non est, nisi virtualis; maior ergò necessitas voti baptismi ad justificationẽ requisiti extrà sacramentum, quàm voti cuiuscumque alterius præcepti, attendi debet ex capite paulò suprà assignato, quia scilicèt Baptism. institutus est, non solùm tanquã necessarius necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, modo jam explicato. Ad Confir. patet per idem; Conc. enim *loc. cit.* in tantum specificat, justificationem adscribi debere contritioni perfectæ, ut includit votum sacramenti pœnitentiæ, inquantum hoc sacramentum est ad justificationem necessarium, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, & ideò specialiter in contritione extrà sacramentum votum ejus exigitur, licèt sufficiat implicitum, & virtuale.

177 Postremò Brancatus *loc. cit. concl. 3.* contrà id, quod suprà asseruimus ex communi omnium sententia, baptismum flaminis esse contritionem perfectam, arguit probans, cum voto baptismi sufficere attritionem ad gratiam consequendam in supplementũ baptismi, quia ad suscipiendum baptismum in re, sufficit adulto attritio ex Trid. *sess. 6. c. 6.* ergo etiam ad baptismum flaminis, vel desiderii; probatur consequentia, non enim in alio votum supplet baptismum, nisi quia hoc non existente possibili, homo vult illũ efficaciter; ergo iis omnibus, quæ in baptismo in re requiuntur, positis cum efficaci ejus voto supplẽtur vices baptismi in re. Confir. quia ex nullo Scripturæ, aut Conciliorum loco deducitur necessitas contritionis semper, cùm est impossibilitas baptismi: ergo non debet homo ad hanc ligari, sed sufficit attritio; consequentia probatur, quia non debet homo obligari, seũ onerari, nisi à lege hoc præcipiatur. Demum suppletio baptismi in re sufficiẽter habetur, si votum ejus habeatur: ergo eædem prorsus dispositiones in hoc, & illo requiruntur; sed ad baptismum in re sufficit contritio, vel attritio: ergo etiam ad alium.

Resp. hunc Auctorem in hoc asserto nedum communi sententiæ repugnare, sed etiam sibi ipsi; nam in communi omnium sententia, & est doctrina Conc. Trid. *sess. 14. c. 4.* in hoc differt perfecta contritio ab imperfecta, quæ dicitur attritio, quòd perfecta contritio est sufficiens dispositio ad gratiam, & sufficit ad justificationem extrà sacramentum, dummodò sacramentum includat in voto, non sic attritio; & hoc ipsum fatetur Auctor ille pluribus in locis, sed præsertim *disp. 11. ar. 5. concl. 2. n. 6* ubi ait, quòd quando quis accedit ad sacramentum cum fictione, ad tollendam fictionem non sufficit attritio extrà sacramentum, sed requiritur contritio cum sacramento pœnitentiæ in voto, & reddit rationẽ, quia attritio sola extrà sacramentum non est medium suscitandi mortuum à peccato, hoc enim est speciale privilegium contritionis perfectæ ex Conc. *loc. cit. sess. 14. c. 4.* ubi docet, contritionem perfectam, quam ibi declarat, hominem Deo reconciliare, etiam prius quàm sacramentum actu suscipiatur, licèt cum voto sacramenti; illam verò cõtritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationẽ perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentię impetrandam disponere; quam Concilii doctrinam nequit hic Auctor dissimulare, quia eam verbatim adducit in probatione suæ secũdæ cõclusionis; Unde non video, qua consequentia asserat posteà in *concl. 3.* sufficere attritionem cum baptismo in voto ad justificationẽ adulti, & ad supplementũ baptismi in re; & planè apud omnes Patres, & Scholasticos per baptismum flaminis, seù pœnitentiæ intelligitur perfecta dispositio interna fidei, & contritionis, seù dilectionis Dei super omnia cum voto sacramenti; neq; ullus, quod viderim, asserit, ad baptismũ flaminis sufficere solam attritionem cum voto sacramenti; nã baptismus flaminis ad minus peccatũ originale tollere debet, quod sine infusione gratię fieri nequit; ad hanc autem consequendam sola attritio etiam cum voto sacramenti non est sufficiens dispositio ex Concilio, loco citato.

178 Accedit, quòd hic Auctor volens in eodem articulo primã suam probare conclusionem sub *n. 45.* quę erat, quòd in adultis necessitas baptismi, si adsit impossibilitas hujus in re, potest suppleri per votum ejus, sic arguit à pari, non minùs est medium necessitatum pœnitentia ad salutem post peccatum hominis baptizati, quàm baptismus post peccatum hominis non baptizati, sed votum pœnitentiæ supplet vicem ejus, si adsit impossibilitas ex Trid. *sess. 14. c. 4.* ergo &c. tunc sub sumo, at votum pœnitentiæ non supplet vicem ejus, si adsit sola attritio de peccatis, sed tantùm si adsit perfecta contritio, ut ibi declarat Concilium ore rotundo, ergo sic pariter dicendum in proposito de voto baptismi. Et planè miror, quòd cùm huic Auctori sit familiare in quolibet articulo contrà singulas conclusiones jam positas pro decisione quæstionis, quantumvis communiter concessas, aliquas proponere instantias: in præfato articulo contrà hanc conclusionem tertiam, quæ ab omnibus negatur, quòd ad supplementum baptismi in adultis sola attritio sufficiat cum voto ejusdem, nullam prorsus proposuerit instantiam; Quamvis enim sub *n. 53.* instantias proponat contrà tertiam conclusionem; hoc tamen per errorem dictum est, quia instantiæ ibi propositæ urgent contrà quartam conclusionem, quæ erat, quòd adultus potest supplere necessitatem baptismi fluminis per martyrium, dummodò adsit impossibilitas.

Negrationes pro ea tertia conclusione adductę ullius sunt momenti; Ad primam nego consequentiam, tàm principalis argumẽ-

ti,

ti, quàm probationis ejusdem, cujus etiam probationis negari potest antecedens, quia votum baptismi non supplet defectu ejus in re, quomodocunq; relicitum, sed associatum cum contritione perfecta de peccatis præteritis ex Conc. *loc. cit.* Ad Confir. negatur assumptum, quòd ex nullo Scripturæ, aut Conciliorum loco deducatur necessitas contritionis semper, cùm est impossibilitas baptismi; apertè enim deducitur ex Trid. *loc.cit.*ac etiam idem cõvincitur ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus verè pœnitentibus promittitur peccatorum remissio; inde enim constat, solam perfectam contritionem esse sufficientem, & ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem, quorum locorum quædam adducuntur ab eodem Conc. *loc. cit.* quæ contritio haberi sine dubio potest antè realem baptismi susceptionem, cùm voto tamen suscipiendi. Ad ultimum negatur omninò, easdem sufficere dispositiones ad gratiam consequendam cum sacramento in re, & cum sacramento in voto, quia ex doctrina Concilii *loc. cit.* ad consequendam gratiam cum sacramento reipsa suscepto, utiq; sola attritio sufficit, quia gratiæ consecutio non adscribitur virtuti attritionis, sed sacramenti reipsa suscepti; non sic ad consequendam gratiam extrà sacramentum cum solo ipsius voto, quia in tali casu gratiæ consecutio non adscribitur sacramento, cùm reipsa non suscipiatur; sed perfectæ dispositioni ad gratiam, quæ non est sola attritio cum voto sacramenti, sed vera, & perfecta contritio cum voto ejusdem ex Concilio ibidem; nam ille actus vim sacramenti supplet, qui est sufficiens seipso facere, quod faceret sacramentum ipsum, si susciperetur, hic autem non est actus attritionis, sed contritionis, nam hic tantùm extrà sacramentum justificat juxtà Tridentinum ibidem.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *Qualiter suppleri possit sacramentum baptismi in adultis per martyrium.*

180 Affirmant passim Sancti Patres, & Theologi omnes, baptismum adultorum suppleri posse per martyrium, quando adest baptismi impossibilitas, ita Alensis *qu.8.memb.9.ar.* 4. D. Th. *qu.66. ar.* 11. D. Bonavent. 4. *dist.*4. *ar.*1. *qu.* 2. & Scotus 4. *dist.*4. *qu.6.ab initio, & dist.*14. *qu.*1. *sub lit.V.* quod probant ex illo Matth. *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, & aliis Scripturæ locis, & pluribus Patrum testimoniis; Itaque tota difficultas est de modo: an scilicèt, sicut Baptismus ex opere operato tollit totam culpam, & pœnam, sic etiam martyrium vi sua præ tet meritum patientis gratiam conferat, quod dico ad tollendam quæstionem de nomine; nam aliqui hoc etiam concesso, adhuc negant, martyrium hoc facere ex opere operato, quia gratiam non confert, prout est opus ministri, necem inferentis, neque ex vi institutionis suæ, sicut sacramenta, quia ad hoc à Christo non est institutum.

Prima sententia affirmat; martyrium nullam gratiam conferre adultis ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, nec dare illum gradum gratiæ præter eum, qui respondet merito charitatis ipsius Martyris, atq; adeò secluso meritis, seù dispositione charitatis, vi sua sine speciali privilegio non sufficere ad supplendam vicem baptismi aquæ; unde consequenter dicunt, martyrium nõ esse sufficiens ad remittenda peccata mortalia, aut etiam originale, nisi à virtute charitatis imperatum; nam hæc sola sufficiens est ex opere operantis saltem dispositivè peccata remittere juxtà illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* ita tenet Alensis *loc.cit.* ubi apertè negat, martyrium posse adulto conferre primam gratiam, qui sanè consequenter loquitur, cùm ibidem neget, posse martyrium dare infantibus effectum gratiæ; ita etiam D. Bonavent. *loc.cit.* ubi negat, posse baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut culpam mortalem remittere; Paludanus 4. *dist.*4. *qu.*3. *ar.*1. & alii antiquiores, quam sententiam, tanquam inter veteres communem, ac etiam inter Patres defendit Vasq. *disp.* 153. *c.*3. Secunda sententia docet, martyrium ex singulari privilegio, & speciali promissione Christi habere vim conferendi primam gratiam, & consequenter ad ipsa sacramenti martyrem justificare ex opere operato, itaut si quis ad martyrium accedat, adhuc in peccatis existens, tamen sine affectu ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etiam antè baptismum; aquæ, is virtute martyrii ex opere operato justificabitur, atq; salvabitur, hoc est, vi sua præter meritum patientis ad vitandam de nomine quæstionem: ita Scot. *loc.cit.dist.* 4 *qu.* 6. ubi dicit, quòd si baptismus sanguinis sit completus, martyr moritur, & evolat in Cœlum, nec tenetur ad baptismum aquæ; idem tenet Faber *disp.*11. *de pœnitentia cap.*2. & etiam colligitur clarè ex alio *loc.cit.*4. *dist.* 14. *qu.*1. *sub T. §. sed nec debet requiri*, quem præter Scotistas passim sequuntur Recentiores, Vega, Bellarminus, Suarez, Henriquez, Valentia, Toletus, Coninch. Lessius, Tanerus, Amicus, Aversa, Bonacina, Becanus, Baldius, Surianus, qui alios citant.

181 Dicendum est, juxtà hanc secundam opinionem martyrium gratiam conferre ex opere operato, vel illam in justo ultrà meritũ operantis augendo, vel peccatore interdum primam conferendo. Ratio cõclusionis sumitur ex promissione Christi, qui voluit hoc speciale privilegium iis concedere, qui pro ipso moriuntur, ut nõ minus in sanguine suo, quàm in aqua baptizari possint, ut ex eius verbis colligitur Matth. 10. *qui me confessus fuerit corã hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*, & Marci 8. *qui perdiderit animã suã propter me, & Evangelium, salvam faciet eam*, quę verba juxtà Aug. interpretationem 13. *de Civ. Dei c.*7. specialem continent promissionem factam iis, qui vitam pro Christo, eiusque doctrina exponunt; ubi inter cætera sic habet; Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur tantùm is valet ad dimittenda peccata, quantũ si abluerentur sacro fonte ipsius baptismatis, nã qui dixit *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etiã dixit, *qui me confessus fuerit coram hominibus*, &c. Et rursus, *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eã*; ergo si baptismus vim habet omnem culpam, & pœnã tollendi, eo quòd sit sacramentalis, seù mystica configuratio mortis Christi, ut habetur Rom. 6. multò magis martyriũ illam vim habebit, cùm sit realis conformatio cum Christo moriente; quo argumento usi sunt Clemens *l.*5. *Constit. apost. c.*7. Cypr. *ep.*47. Tertull. *in Apologetico circa finem*, & alii Patres.

182 Neque dicas, hanc efficaciam remittendi peccata, & gratiam conferendi ab his Patribus tribui Martyrio ratione charitatis, à qua procedit. Quia expressè illam tribuunt ratione promissionis à Christo factæ; siquidem eodem modo aiti in martyrio remitti delicta ratione illius generalis sententiæ, & promissionis, *qui me confessus fuerit*, &c. sicut in baptismo ratione illius dixit, *Nisi quis renatus fuerit*, *&c.* si igitur ex divina promissione hos effectus martyrium causat, nõ ergo ex natura actus, à quo imperatur; Tùm quia in hoc sensu promissionem Christi Patres intelligunt, ut etiam ad parvulos extendatur, qui nõ loquendo, sed moriendo Christum confitentur, ut de Innocentibus Ecclesia canit; & cùm non possint propriis actibus gratiam ex opere operantis acquirere, liquidò constat, eis per martyrium gratiam ex opere operato conferri; & consequenter tàm illi Patres, quàm Ecclesia colens illos, ut beatos, supponunt, in martyrio vim aliquam justificandi à peccatis reperiri, independenter ab actu Martyris, ex lege, & promissione divina ei communicatam.

Nec rursus dicas cum quibusdam, martyrium quidem ita ex lege, & promissione divina justificare parvulos, non tamen adultos, Nam, ut ait Amicus *disp.*12. *sect.*3. nullum prorsus fundamentum habemus excludendi adultos à tali virtute, & promissione, nec ullam habemus Ecclesiæ definitionem, aut Patrum auctoritatem, ex qua etiam à longè deduci possit, martyrium non justificare adultos, sicut justificat infantes ex opere operato, & promissionem divinã. Imò potiùs verba illa, *qui me confessus fuerit*, &c. primariò dicta sunt de adultis, qui non solùm opere Christum confiteri valent, sed etiam verbis, & ore; Sicut ergo ex illis verbis. *Nisi quis renatus fuerit*, colligit Ecclesia, communicatam esse baptismo virtutem justificandi à peccatis omnes indifferenter, sivè infantes, sivè adultos; sic etiam ex illis aliis verbis, *qui me confessus fuerit*, colligit, martyrio communicatam esse virtutem justificandi à peccatis, & eodem modo, non tantùm infantes, sed etiam adultos, de quibus primario illa verba dicuntur.

183 Deindè probatur ex modo loquendi Patrum de virtute, & energia Martyrii, & baptismi sanguinis, quorum verba afferunt Suarez, Amicus, Surianus & alii Recentiores, nam aliqui dicunt, martyrium succedere loco baptismi, & ex sacris Scripturis deducunt, martyrium eosdem effectus producere, quos baptismus aquę producere solet, ita Clemens Papa, Cyprianus, & Tertullian. *loc. cit.* & libro de baptis. *c.*16. ubi loquens de martyrio inquit, *est baptismus, qui lavacri regenerationis non accepti refert, vel perditũ reddit.* & Prosp. *in l. sent.* 149. *qui non percepto*, inquit, *regenerationis lavacro pro Christi cõfess. moriuntur, tantũ eis valet ad abolẽda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis*, at baptismus aquæ gratia cõfert ex opere operato, ergo etia baptismus sãguinis, alioquin non perfectè illi succederet quoad omnia, nec eosdẽ produceret effectus, quos ille producere solet; Imò Patres dicũt, martyrium quoad virtutem, & efficaciam baptismũ aquæ longè antecellere, ita Cypr. *cit. ep. ad Iubaianum versus finem*, ubi ait. *Nũquid potest baptismus maior esse, aut potior, quam confessio, & passio*, & Clemens Papa *loc.cit.* ubi martyrium in comparatione baptismi aquæ veriorem appellat baptismum ex eo, quòd baptizati baptismo fluminis in figura tantùm consepeliuntur Christo in morte, martyres verò reipsa Christo commoriuntur, & ita loquuntur quamplures alii Patres; hoc autem verum non esset, si martyrium gratiam conferret tantùm ex opere operatis, nam baptismus gratiam confert, non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. Rursus dicunt Patres, martyrium omnem prorsus pœnam remittere, & martyrem post susceptionem martyri statim ad vitã æternam pervenire, unde Aug. *serm.17. de verbis Apost.* ait, *iniuriã facit Martyri, qui orat pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendare*, & sic etiam loquitur Innocentius Tertius *cap. cum Martha de Celebrat. Missarum*; sed hanc totius pœnæ remissionem non potest Martyrium, nisi ex opere operato, conferre.

184 Nec



182 Nec dici potest, quòd charitas martyrio coniuncta hæc obtinere meruerit, vel patientia in pœnis tolerata, quia dando vitam dat martyr maximum, quod hic dare potest bonum; ut ait Vasquez *loc. cit.* Nam sæpè martyrium quoad acerbitatem pœnarum adhuc non est proportionatum pœnę, quam matyr ob præcedentia peccata contraxit; siquidem, ut notat Bellarm. *lib.*1. *de Baptis. cap.* 6. martyres quamplures antè martyrium fuerant scelestissimi homines; & innumera peccata perpetraverant, pro quorũ expiatione pœna nimis levis erat mors, quæ capitis obtruncatione statim perficitur; undè ex se talis tolerantia non poterat omnem pœnam peccatis debitam dimittere, neque vitæ profusio, quod est maximum bonum, quod hic date potest; quia potest dari casus, quòd martyrium subeat, vel in etate decrepita, vel corporis salute omninò desperatata; si ergo tota pœna est martyri dimissa, hoc planè fuit virtute martyrii.

185 Denique hæc sententia probatur ratione, quia juxtà communem omnium sensum tria sunt baptismata fluminis, flaminis, & sanguinis, ut dictum est ab initio quæstionis; at si martyrium suã efficaciã justificandi homines à peccatis sortiretur à solo actu charitatis, à quo procedit, non distingueretur à baptismo flaminis sed hęc duo baptismata in unum coinciderent, nam etiam baptismus flaminis vim justificandi à peccatis habet ab actu charitatis, vel contritionis. Nec dicere possunt Adversarii, baptismũ sanguinis per ipsum opus externum mortis à baptismo flaminis distinguì. Quia hoc opus externum nihil conducere potest ad remissionem peccatorum in eorum sententia; neque ex opere operato, ut ipsi cõcedunt; neque ex opere operantis; quia nolunt, opus externum ullam addere bonitatem, vel meritum actui interno. Confi. quia contingere potest casus, quem ponit Doct. 4. *d.*14. *cit.* 4. 1. sub V. quòd aliquis inopinatò ad martyriũ rapiatur pro fidei defensione, & statim exponatur arctissimo martyrio, & necessitetur toto corde ad insistendum circà actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, itaut de illo elicere nequeat actum contritionis perfectum, sed tantùm imperfectum, tunc quero, aut in tali casu iste salvabitur cum solo attritionis actu, vel non; hoc secundum nimis durum est afferere, & divinæ clementiæ dissentaneum, quia iste fecit, quantum moraliter potuit in tali pressura; si primũ habetur intentum, nempè martyrium ex attrito reddere martyrẽ contritum, atque ita gratiam ex opere operato conferre.

186 Hinc igitur concludendum est, martyrium ex se, & ex propria efficientia dimittere peccata, totamque pœnam pro ipsis peccatis debitam, & primam gratiam infudere ex opere operato; & hanc mortaliter conferre, non physicè, quatenus Deus intuitu martyrii, quod est optimum opus, eique gratissimum, hanc gratiã confert ad instar sacramentorum ob speciale privilegium, peculiaremque promissionem, quam fecit Christus verbis illis, *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; Neque ob id est sacramentum, quia sacramentum est actio quædam sacra, ac sancta ad cultum veri Dei ordinata, & à Christo instituta; martyrium verò, dùm ex impietate Tyrãni provenit, nedum sacra actio non est, imò potiùs sacrilega, & impia, qua servi Dei crudeliter necantur, & Deus ipse graviter offenditur; Sed quando dicimus, martyrium gratiam conferre ex opere operato, non ob id negare intendimus, quòd major, ac ferventior charitas martyris majorem, & uberiorem gratiæ infusionem consequi mereatur, quàm gratiam ex opere operantis possumus nuncupare, putà si martyr antequam ad martyrium procedat, sit in gratia, tunc enim omnes actus charitatis, & amoris ergà Deum, & omnes actus patientiæ, & fortitudinis in tolerandis tormentis pro fide, gratiæ augmentum promerentur, & in hoc casu martyrium gratiam confert ex operato, & ex opere operantis.

*Solvuntur Objectiones.*

187 In oppositum Primò obiiciunt illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit* &c. ubi sermo est dumtaxat de baptismo aquę, & nõ sanguinis; & ad summum verba illa ad baptismum flaminis extẽdi possunt, ubi est sacramentum in voto; ergo non nisi in virtute charitatis, & consequenter ex opere operantis, potest martyrium vices baptismi suscipere. Conf. ex illo Pauli 1. ad Cor. 13 *si tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ubi expresè Apostolus docet, nihil martyrium ad salutem prodesse sine charitate, quod non esset, si ad instar baptismi ex opere operato gratiam conferret, & martyrem vi sua ex attrito contritum faceret. Demum pro ea sententia plures adducunt Patres, sed præcipuè Bernardum *ep.* 77. ubi antè medium docet, martyrem, non tàm morte pro Christo toleratata, quàm fide, & charitate, qua illam tolerat, à peccatis justificari, quæ charitas etiam sine martyrio ad justificandum sufficeret.

Resp. illis Christi verbis proponi quidem sacramenti necessitatem per se loquendo, non excludi tamen alterius remedii sufficiẽtiam, nempè martyrii ex privilegio speciali supplentis vicẽ sacramenti; quod martyrii privilegiũ satis constat ex aliis Christi verbis, *qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor, & ego eum corã Patre meo*, & ex sensu Ecclesiæ, ac Sanctorum auctoritatibus iam allatis. Ad Conf. plures sententiæ nostræ sectatores locum illum explicant de charitate concomitanti, seù consequenti, non autem de actu charitatis, martyrium præcedẽte, cuę exposito ex ipso cõtextu colligitur, ubi eodem modo ad mortis perpessionem requirit charitatẽ, quo illã ad fidem, & scientiam exigit, at planè opus non est, ut charitas fidem præcedat, & scientiam, sed satis est, ut comitetur; quarè sensus Apostoli est, nihil in hac vita esse ita arduum, & perfectum, quod possit hominem salvare, si charitas absit; Alii respondent, non dixisse Apostolum, si martyrium subjero charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; sed dixisse, *si tradidero corpus meũ, itaut ardeam*, quod valdè considerandũ est, quia hoc etiam pluribus modis absq; martyrio contingere potest, ut si quis sponte sua corpus flammis excruciet, vel ex vana gloria, aut alio motivo humano, non autẽ propter Deũ, mortem tolerare sit paratus, aut alio consimili modo, tunc enim diceretur corpus suum tradere sine charitate, & verè martyr non esset. Ad ultimũ dico, imò D. Bern. in ea Epistola nostræ favere sententiæ; cùm ibi expresè doceat, martyriũ quoad meriti cumulum longè superare baptismum aquæ, quod fieri non posset, nisi aliquem gradum gratiæ conferret majorẽ, quàm ex solo actu charitatis sit debitus; ita autem ibi loquitur, quia ut notat Amicus, totus ibi Bernardus erat in confutando quotundã errorem, qui negabant, ad salutem sufficere contritionem quantũvis perfectã, copia baptismi deficiẽte, unde ut hunc errorẽ rejiciat, ait, ipsũ quoq; martyrium opus adeò gratum Deo, merito interioris fidei, & cõtritionis fieri acceptum qui actus ex se absq; sanguinis effusione, vel aquæ profusione, quãdo in re haberi non potest, sunt ad salutem sufficientes; Quarè mirum esse non debet, si Bernardus ad hunc errorem validiùs cõfutandum, contrariam sup ponat de martyrio sententiã estò minùs probabilem, nam juxtà regulam Scoti 2. *d.*33. *qu.un. sub lit.C.* ex D. Bonav. desumptam, frequenter Sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes excessivè locuti sunt declinando ad aliud extremum, quia via deveniendi ad medium est aliqualiter ultrà medium procedere ad extremum 2. Ethic. & tandem, quando etiam D. Bernardus, vel alius Patet illius esset opinionis, patum refert, quia plures ad huc Patres extant pro nostra jam citati.

188 Secundò arguunt, quia si martyrium gratiam confert pręterquam ex opere operantis, dici debebit, conferri ex opere operato, quare esset novum, ac distinctum sacramentum, quod utique admittendum non est.

Confir. vel adultus sustinens martyrium tenetur habere votum baptismi fluminis, vel non, si non, ergo non est ad martyrium dispositus, quia talis dispositio haberi nequit, nisi per voluntatẽ observandi legem Evangelicam, cujus janua est baptismus, si sic, ergo justificatur per votum baptismi, & contritionem, non verò per martyrium. Tandem, si martyrium supplet baptismum, gratiam conferendo, & peccata delendo ex opere operato, & vi propria; ergo esset liberum homini alterutrum suscipere, quod est falsum, quia Christus absolutè dixit, *nisi quis renatus fuerit* &c. Consequentia patet, quia quando duo media ad aliquem finem ordinata in virtute æquivalent, possunt ambo cum libertate exerceri.

Resp, non deesse, qui concedant, martyrium vi sua præter meritum operantis gratiam conferre, & adhuc negant, hoc facere ex opere operato, quia nimirùm gratiam non confert, prout est opus ministri, necem inferentis, nec ex vi institutionis suæ, sicut sacramenta, quia ad hoc à Christo non est institutum, ut diximus ab initio articuli; Sed cùm de re jam cõstet, etiam hic modus loquẽdi displicere non debet, quòd gratiam conferat ex opere operato non tamen per modum sacramenti; hoc enim est signum gratiæ, consistens in aliquo actu à Deo instituto, & ex ratione sua petit à Ministro sauctè exerceri, quæ conditiones martyrio convenire non possunt, ut dictum est *n.*186. Unde fatendum est, non omne medium gratiam conferens ex opere operato esse sacramentum, quia reperitur hoc aliud medium, eodem modo gratiam conferens ex privilegio speciali, ut probatum est.

Ad Confir. dico ex Scoto *d.*4. *qu.*6. teneri ad votum illud, si recordetur, quia per martyrium ab observantia legis non eximitur necà voluntate servandi eam, unde inquit Doctor, quòd si Martyr supervivat, tenetur ad baptismum in re, quia non est exemptus ab observantia divinæ legis, si verò non recordetur, ait Doct. *distin.* 14. *qu.* 1. *lit.V.* in tali casu solum martyrium sufficere, & votum baptismi implicitum, & virtuale, Quòd si antè passionem velit martyr explicitè baptizari, & non possit, utique in hoc casu per votum baptismi explicitum, quod dicitur baptismus flaminis justificabitur ante martyrium, & ex opere operantis, sicut, & alii, qui cum solo voto decedunt, adhuc tamen ex opere operato per martyrium habebit augmentum gratiæ, & jus ad majorem gloriam. Ad ultimum negatur consequentia, cujus probatio valet, quando illa duo media æquè primo æquivalent, non verò si unum æqui valeat tantùm in alterius defectu, ut est in proposito martyrio, quod supplet baptismi vices, quando hic in re suscipi non potest; nam de baptismo est præceptum commune, de martyrio verò in casu tantùm fidei confitendę, ideòque observantia baptismi non est libera.

189 Tertiò objiciunt, voluntas efficax martyrii, & martyrium

actu

actu susceptum quoad essentialia non differunt, quia actus exterior nullam novam bonitatem addit actui interiori, in quo solo tota bonitas moralis formaliter salvatur: ergo si martyrium sufficiens est ad hominem sine contritione justificare; sufficiens quoque erit efficax ejus voluntas absq; martyrio actu suscepto, atque ita poterit peccator sola efficaci voluntate suscipiendi martyrium absque contritione à peccatis justificari.

Confir. quia mors patienter pro Christo tolerata ab Hæretico, vel Schismatico non sufficit ad remissionem peccati hæresis, vel schismatis, quamdiù in eis perseverat, ut ait Aug. lib. 1. de baptismo contrà Donatistas pluribus in locis: ergo neque sufficiens erit alia peccata remittere, quamdiù peccator in eis manet; tamdiù autem peccator in eis manet, quàdiù de illis vel extrà sacramētū non conteritur, vel cum sacramento baptismi, aut confessionis non atteritur. Tandem si quis mortē pro Christo subeat antè baptismum, non justificatur sine voto baptismi, si baptismum reipsa suscipere nequit: ergo nec post baptismum, si post baptismum aliquod mortale commisit, absq; voto sacramenti pœnitentiæ, si reipsa sacramentum pœnitentiæ suscipere non potest; quia non minus unū sacramentum, quàm aliud est ad salutem necessarium; atqui votum baptismi, vel pœnitentiæ est contritio: ergo sine contritione, aut saltem attritione simul cum sacramento baptismi, vel pœnitentiæ, martyrium hominem non justificat.

190 Resp. negando assumptum quoad secundam partem, quòd actus exterior novam bonitatem non addat actui interiori, ut dictum est *lib. 2. disp. de actibus humanis*, ex Scoto *quodlib.* 18. & quando etiam id concederetur, adhuc negari debet, aliquam gratiam ex privilegio speciali actui externo respondere non posse, quę actui interno nō respondeat, nā de facto actui externo martyrii secundū omnes correspondet aureola, quæ non respondet interno; sicut ergo actui externo suscipiendi baptismum ex lege, & promissione Dei peculiaris gratia respondet, quę non respondet soli internæ voluntati illud suscipiendi, ita martyrio reipsa suscepto peculiaris gratia correspondet ex pacto, & lege Dei, quę nō respōdet actui interno, & voluntati efficaci illud subeūdi; hęc enim promissio facta est à Christo Matth. 10. non quidem volenti coram hominibus illum confiteri, sed actu confitentibus; dixit enim, *qui me confessus fuerit*, non autē, *qui me confiteri voluerit*.

Ad Confir. negatur consequentia, etenim, ut inquit Amicus, hæreticus, quamdiù in hæresi perseverat, veram fidem non habet, sine qua impossibile est Deo placere, peccator autem, estò gratiam Dei non habeat, potest tamen peccata commissa per supernaturalem attritionem retractare, & per opus privilegiatum martyrii gratiam consequi, sicut cum dispositione ejusdem attritionis mediante alio sacramento eam potest adipisci; quo pacto etiam hæreticus ipse, qui pro aliquo vero fidei articulo à Tyranno occideretur, si resipisceret à Deo illuminatus, & sui erroris pœnitentiam ageret, cum sola attritione ex vera fide infusa procedente, vi martyrii justificaretur. Ad ultimum negatur paritas, quia martyrium gratiam confert ex opere operato ad instar sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ, ac proindè martyrem ad justificandū factum contritionis non requirit, sed tantùm attritionis actus sufficit, quæ cum opere ipso externo martyrii primam gratiam confert; at votum sacramenti baptismi, vel pœnitentię gratiam tantùm confert ex opere operantis, & ideò voventem, vel desiderantem baptismum, aut pœnitentiam non justificat saltem dispositive, nisi perfectam cordis contritionem includat.

191 Quartò objiciunt; si tempore martyrii se offerat commoditas baptismi ei, qui baptizatus nō est, aut sacramenti Confessionis ei, qui conscientiam habet peccati mortalis; tàm ille tenetur ante martyrium baptizari, quàm hic confiteri: ergo deficiente copia sacramenti uterque tenetur de peccatis commissis conteri, quia uterq; tenetur voto supplere virtutem sacramenti, quo eget; neuter autem sacramenti virtutē supplere potest actu attritionis, sed contritio requiritur; nam ille actus virtutem sacramenti supplet, qui seipso sufficiens est facere, quod faceret sacramentum ipsum, hic autem non est actus attritionis, sed contritionis, nam hic tantùm extrà sacramentum justificat ex Trid. *sess.* 14. c. 4. Confirm. quia per martyrium non potest gratia conferri in ipso mortis instanti, quia tunc homo primò non est; nec anteà, tùm quia nondum consummatum est, tùm quia quocumque alio posteriori instanti antè mortem potest homo denuò peccare, aut saltem diutiùs in vita manere; at absurdum est, inveniri martyrem vivum, aut etiam impium: ergo martyrium vi propria gratiam conferre nequit, sed tantùm per actum contritionis præcedentem. Deniq; Vasq. impugnat is aliorum rationibus arguit, quia non nisi divina voluntate, & concessione mors pro Christo tolerata talem vim habere potuisset remittendi peccata, & conferendi gratiam ex opere operato; sed de hac Dei voluntate nobis non constat, nec ex Scriptura, nec ex Ecclesiæ definitione, aut traditione: ergo non debet hæc vis per se tribui martyrio, sed tantùm dilectionis affectus, quo mortem quis subit, poterit eum justificare, & salvare, ex opere scilicet, & merito operantis.

192 Respond. concesso antecedente, negando consequentiam quantum est ex vi dispositionis ad martyriū requisitæ, & ad probationem cōsequentię conceditur, per solum attritionis votū extrà sacramentum vim, & effectum sacramenti suppleri non posse quantum ad gratiæ collationem; negatur tamen, non posse simul cum martyrio supplere, quia cùm martyriū ex divina promissione annexum habeat privilegium conferendi gratiā ex opere operato, ut suprà probatum est, poterit una cum attritione primam gratiam conferre, sicut facit sacramentum cum sola attritione faciendo de attrito contritum. Ad Confirmationē varii sunt modi dicendi, quo tempore conferatur gratia martyrii; quidā dixerunt, hominem accipere gratiam martyrii, cùm firmiter deliberat mortem pati pro Christo, & ita indicavit Caiet. 2. 2. *q.* 124. *art.* 2. *ad* 1. Sed certè præter voluntatem etiam efficacem ipsum opus extremum expectari debet, non enim sola voluntas sufficit ad recipiēdam martyrii gratiam, sed realis executio requiritur, & per talem voluntatem ad summum dici potest quis Martyr desiderio, ut dicitur de Patre nostro Sācto Franciſco, non autem Martyr absolutè. Alii dixerunt, gratiam conferri in eodem mortis instanti, quia putant, tale etiam instans ad hanc vitam pertinere, tanquam eius terminum, licèt extrinsecum. Sed neque hoc benè dicitur, quia ultimum instans vitę hominis juxtà cōmunem Philosophorum est instans extrinsecum, in quo valet dicere, nunc non est homo, sed immediatè antè fuit; atque ita iuxta hunc dicendi modū, homo gratiam acciperet, quando non est, & talis posset fieri beatus, qui toto vitæ suæ tempore gratiam non habuit, sed sempet in peccatis fuit toto tempore vitæ suæ, quod est absurdum.

193 Præstat itaque dicere cum cōmuni, gratiam martirii conferi in aliquo instanti determinato antè mortem, nimirùm quando homini jam sūt lethalia vulnera inflicta, ut dicatur cōstitutus in articulo mortis naturaliter iam inevitabilis, quia nimirùm tūc martyrium, licèt non totaliter consummatum; tamen corā Deo habetur pro completo; nam quando Martyr lethalia vulnera recipit, dicitur mortuus in causa, & secundum naturæ ordinem mori debet, non ob aliam causam, nisi quia talia vulnera est passus, undè congruum est, ut eo tempore martyrii effectum cōsequatur; ita Vega, Valentia, Suarez, Amicus, Aversa, Henriq. Coninch. Bonac. Sur. ian. & alii Recentiores, & hoc idem supponit Doctor *d.* 4. *q.* 6. cùm inquit, quòd si baptizatus baptismo sanguinis superuiveret, teneretur suscipere baptismum fluminis; in quo casu etiam supponit, hujusmodi hominem Martyris cotonam non amissurum, quod colligitur ex sensu Ecclesiæ festum Sancti Joannis Evangelistę celebrantis sub ritu Martyris, qui in ferventis olei balneo immersus à morte præservatus fuit; ac etiam divinæ providētiæ valdè consentaneum videtur, quòd Deus in tali casu eum in gratia confirmaret; quem miraculosè detinet, ne gloriam consequatur, quam infallibiliter hic, & nunc consecuturus erat; confirmaret, inquam, illum in gratia pro toto sequenti tempore vitę suę, ne detrimentum patiatur ex incolumitate, sibi miraculosè conservata, vel reddita, dum ipse alacriter se exposuerat morti pro Christo, & sic passim discurrunt Auctores iam citati; & hoc totum supponit etiam Doctor loc. cit. ubi tandem etiam advertendum est, hoc idem quoque argumentum de infantibus ab Herode occisis confici posse, nam ilti quoque gratiam debuerunt accipere peccati originalis deletivam in aliquo instanti antè mortem.

Ad ultimum patet ex superiùs dictis, sufficienter nobis constare de hac divina voluntate, & concessione in favorem, & privilegium martyrii, ex traditione, & existimatione Patrum, & Ecclesię & ex ipsa Scriptura; siquidem docuimus, hoc privilegium fundari præsertim in illa promissione à Christo facta Math. 10. *Qui me confessus fuerit corā hominibus, cōfitebor, & ego eū corā Patre meo.*

194 Sed hic rursus gravis insurgit difficultas, quia cùm hęc professio facta non sit antiquis Martyribus ante adventum Christi, ut fuerunt septem Pueri Machabæi, quos Ecclesia colit, ut Martyres quia pro legis observantia mortem sustinuerunt; nō potuit in illis martyrium gratiam conferre ex speciali hoc privilegio, sed ex merito dumtaxat operantis; imò cùm eadem sit ratio de martyrio post adventum, & passionem Christi, ac anteà, videtur dicendum, nunquam gratiam contulisse, nisi ex merito operantis; assumptum probatur, quia cum privilegium ex concessione Principis pendeat, quæ antè promulgationem nulli dat jus eo fruendi, non potuit antè promissionem à Christo promulgatam suum effectum operari in Martyribus legis antiquæ.

Respond. non solùm post adventum, & mortem Christi, sed etiam anteà, martyrium hanc vim habuisse, quia non minùs martyrium Machabæorum exaggeratur à Patribus, quàm aliorum Martyrum post Christi adventum, ut patet ex Greg. Nazianz. *or.* 22. *quæ est de Machabæis*, quos ait, fuisse Christi passioni cōformes, & in fide illius consecutos esse justitiam, & effectos nive cādidiores, quo verbo significat remissionem totius culpæ, & pœnæ, ex quo etiam deducitur ratio huius assertionis, etenim causa, cur hoc privilegium fuit martyrio concessum, est, quia martyriū est perfecta, & realis configuratio cū morte, & passione Christi; hæc autem causa non requirebat mortē, & passionem Christi actu exhibitam, ut Deū moveret ad concedendū martyrio hoc privilegiū, sed sat erat,



erat prævisam esse futuram, ut constat de martyrio Io; Baptistæ, quod Christi mortem, & passionem præcessit; ita cum Suarez discurrit Amicus *loc. cit.* ubi etiam addit, decens fuisse ad honorandā mortem, & passionem Christi, ut ipsius intuitu adhuc futuræ Deus hoc privilegium omnibus concederet, qui saltem propter implicitam eius fidem, morte patienter tolerata, realiter, se conformaturi essent cum futura morte, & passione eiusdem; Unde ad rationem in oppositum, inquit Amic. hoc privilegium martyrio concessum fundari quidem in illa Christi promissione, nō quę tunc primum instituta est, sed quę tunc primum ore Christi explicata fuit, cùm anteà etiam fuerit, vel per traditionem, vel per divinam inspirationē; Quod autē dicitur de privilegio, valet de illo, cuius effectus pendet ex usu privilegiati, non de eo, cuius effectus pendet ex sola voluntate privilegiantis, quale est privilegium martyrii, cuius effectus pendet ex sola voluntate Dei, illum liberaliter conferentis.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *Quæ dispositio requiratur ad martyrium in adultis.*

195 QVæstio est de homine existente in peccato mortali; quæ, & qualis dispositio requiratur in ipso, ut prosit illi martyrium in ordine baptismo, in qua tres solent referri opiniones, duæ extremæ, & una media; Prima opinio extrema requirit veram contritionem, & dilectionem Dei super omnia perfectam; ita tenent, qui art. præc. putabant, martyrium gratiam non conferre e x opere operato, sed solùm ex opere, & affectu patientis; undè inferunt, quòd sicut peccator extrà martyrium non potest justificari sine cōtritione, nisi Sacram. suppleat; ita nec in martyrio, pro qua opinione citantur etiam Canus, Bannez, & Vasquez. Secunda opinio extrema est, sufficere voluntatem patiēdi pro Christo, nec opus esse contritione; etiamsi, homo suorum recordetur peccatorum, quia voluntas moriendi pro Christo est quædam virtualis dilectio Dei super omnia, pro qua citantur Vega, Soto, & quidam alii; Tertia opinio media est, martyrium non requirere perfectam contritionē, sed attritionem sufficere, si homo sit confesius peccati, quia ad baptismi effectum consequendum non sufficit voluntas suscipiendi baptismum, sed etiam requiritur attritio; ergo idem est de martyrio; si verò per oblivionem, & inadvertentiam peccatorum nō elicit actum attritionis, eo quòd tunc temporis totus detineatur in expellendo mortis metu, ait; sufficere voluntatem subeundi mortem pro Christo etiam sine omni attritione formali de peccatis præteritis; & hæc fuisse videtur sententia Scoti 4. *d.* 14. *q.* 1. propè finem quæst. sub lit. V. quam tenent Faber *dis.* 12. *de pœnitentia c.* 2. Aretinus 4. *dist.* 14. *quæst.* 3. *ar.* 4 Hiqueus ibidem, & alii Scotistæ, ac Recentiores passim Suarez, Coninch. Amicus, Aversa, Becanus, Bonacina, Surianus, qui alios citant.

196 Primò itaq; pro resolutione quæsiti dicendum est, martyrium requirere veram, & catholicam fidem in homine ex parte intellectus, ita D. Aug, *lib. 1. de Baptismo cap.* 11. *dib.* 3. *cap.* 16. *& lib.* 4. *cap.* 17. & deducitur, tùm ex generali doctrina de necessitate fidei quia sine fide impossibile est placere Deo, tùm etiam ex conditione ipsa martyrii, de cuius ratione est, ut moriatur homo pro vera fide, nimirùm fide divina, & infusa, qualis non est, nisi fides catholica; quarè si infidelis, vel hæreticus occidatur etiamsi pro defensione, & cōfessione alicuius articuli veri, quē credit, nō propterea est Martyr, nec gratiā martyrii cōsequitur; Sufficiet autē mortem subire, vel in defensionem veritatis nostrę fidei, vel etiam aliarum virtutum, quatenus in Deum referuntur, & sunt veritatis nostræ fidei protestativæ; nam generaliter loquendo omnia virtutū opera, secundū quod referuntur ad Deum, sunt quædā fidei protestationes; quicumq; enim vult potiùs morti se exponere, quàm aliquo peccato Deū offendere, vel actu virtutis tunc exercendæ desistere, jam facto ipso protestatur, tantùm esse debere obsequium creaturæ in Deum, ut omnibus aliis spretis etiā proptiæ vitæ prę ferri debeat; undè omniū virtutum opera possunt esse causa martyrii, & sic Ioannes Baptista fuit vere Martyr, quia in odium virtutis, & veritatis, quam libere, & impavidè prædicabat, fuit ab Herode occisus, ut notat Aversa *q.* 70. *sect.* 6. ex D. Thoma 22. *q.* 124. *ar.* 3.

197 Secundo ex parte voluntatis martyrium in adultis requirit tanquam necessariam dispositionem, piam voluntatem tolerandi mortem pro divina gloria, dico autem in adultis, quia hæc voluntaria acceptatio martyrii nō requiritur in infantibus usu rationis carentibus, ut cōstat de Sanctis Innocentibus, qui verè Martyres fuerunt, ut dicemus art. sequent. quamvis per voluntariū consensum martyrii passionem non acceptaverint; Quòd autem in adultis talis voluntas sit necessaria ex eo constat, quia Deus non salvat nolentes, sed volentes, & ut inquit D. August. non salvat nos sine nobis, hoc est, sine nostro consensu, & voluntate, tantùm quia fiat in adulto requiritur ad minus intentio suscipiendi baptismū, ut sacramentum sit validum, ita etiam requiritur in adulto suscepturo martyrium; Deindè talis volūtas pia esse debet, hoc est, honesta, & ex motivo supernaturali; nam si fiat propter vanam gloriam, vel aliud humanum motivum, non meretur illa mors martyrii nomen, quia talis actus neq; est actus virtutis, neq; fortitudinis, nec religionis, aut alterius virtutis. Quòd etiam esse debeat ex supernaturali motivo, ex eisdem deducitur principiis, nam aliàs homo ille non pateretur, ut Christianus, sed ut Philosophus, & consequenter non pateretur, aut moreretur pro Christo, aut defensione Fidei, & Religionis Christianæ. Denique sufficit, ut hæc voluntas sit antecedens, & non retractata; unde qui semel habuit voluntatē subeundi mortem pro Christo, & nunquam illam retractavit, si in somno propter Christum occidatur, vel in odium fidei: si careat peccato mortali, vel antè somnum de eo saltem attritionem habuerit, consequitur effectum martyrii, sicut etiam effectum baptismi consequeretur, & ratio est, quia præcedens voluntas non retractata moraliter perseverate censetur, & actus attritionis præcedens tollit obicem effectus martyrii: è contra verò, qui nunquam voluntatem habuit moriendi pro Christo, si in somno pro Christo occidatur, etiamsi justus sit, non consequitur effectum martyrii, nec per talem mortem gratiæ augmentum acquirit.

198 Tertiò, ut martyrium primam gratiam conferat ex opere operato, necessaria est aliqua pœnitentia, & dolor supernaturalis de peccatis commissis. Ratio est, quia nil magis, & frequentiùs in sacra Scriptura inculcatur, quàm hic dolor de peccatis commissis ad veniam impetrandam, unde Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. definit, hunc dolorem quovis tempore fuisse necessariū ad impetrandam peccatorum veniam; & constat à paritate sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ quamvis per se primò sint instituta ad remittenda peccata, & primam gratiam conferendam ex opere operato: ad hoc tamen requirunt de peccatis commissis aliquem supernaturalem dolorem, ut de pœnitentia definit idem Concil. *loc. cit. & de Baptismo sess.* 6. *c.* 6. ergo à fortiori martyrium quoque hunc dolorem requiret, quod non est primò, & per se institutum ad peccata delenda, sed hoc habet ex adjuncto privilegio: Unde qui habet alicujus peccati complacentiam, etsi martyrium patiatur, nullam consequitur veniam, de quo vide Aretinum *loc. cit.*

199 Quartò, dolor de peccatis cum martyrio ad justificandū requisitus per se nō est contritio, sed sufficit attritio. Concluso est Scoti loc. cit. & sequitur ex præc. art. ubi probatū est, martyrium ex promissione Dei, & singulari privilegio primā gratiā conferre ad instar sacramenti baptismi, & ex attritio reddere martyrē contritū; cùm ergo martyrium habeat eandem vim cum baptismo, sicut hic contritionē non requirit, ut gratiā justificantem conferat, ita nec martyrium; Tùm quia si contrito esset necessaria, nunquā martyrium primā gratiā conferre posset, quam tamen baptismus conferre potest, hatq; adeò eandem vim haberet cum baptismo. Dicandum, fortè enim per accidens ratione alicujus præcepti, tēpore martyrii currentis, poterit Martyr eo tempore obligari ad actum contritionis eliciendum: Dicunt enim quamplures, præceptum contritionis maximè in articulo mortis obligare, eo quòd in articulo mortis homo semper teneatur tutiorem viam ad salutem amplecti: sed qui subiturus est martyrium, est in periculo mortis; ergo tunc ratione talis præcepti tenebitur actum contritionis elicere; quarè si voluntariè omittit, peccat mortaliter.

200 Verùm, an in articulo mortis teneatur homo conari ad actū contritionis eliciendum, eo quòd in eo puncto teneatur tutiorem viam salutis amplecti: in præsenti differendum non est, sed ad Disputat. de Pœnitentia differendum; Nobis pro nunc sufficere debet, quòd etiam hoc concesso, nihil ex hoc sequitur contrà assertionem nostram, nam data ea opinione, non sequitur, contritionē requiri in mortis articulo, tanquam necessariam dispositionem ad tollenda præterita peccata per martyrium, de quo pūcto est nostra difficultas; sed solùm tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum contra præceptum contritionis, quod tunc obligare supponitur, nō quidem propter fidei confessionē, sed generatim propter mortis periculum, ex quacumque causa id procedat; quo etiam pacto si passurus martyrium v. g. teneatur ad restitutionem pecuniæ, vel famę, obligatur hoc statim facere, si possit; & similiter tenetur baptizari, si possit, & nondum sit baptizatus, & confessus sibi peccati mortalis; tenetur confiteri, si possit, non propriè, ut ad martyrium se disponat, sed ut præceptum impleat baptismi, & cōfessionis, aliàs peccaret mortaliter.

201 Quinto tandem, quamvis per se sit necessaria formalis pœnitentia peccatorum antè martyrum, tamen si ex accidenti cōtingat, hominem excusari à culpa omissionis hujusmodi, vel propter naturalem inadvertentiam, & oblivionem peccatorum; vel quia ex nimio timore mortis tunc menti non occurrerent, & per tēpus non vacaret illa diligentiùs considerare, vel etiā si menti occurrerent, propter subitam mortem, quā à Tyranno præveniretur, non posset contrà illa formalem detestationem cōcipere: probabile est, in his, & similibus casibus solam voluntatē moriendi pro Christo esse sufficientē dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex privilegio martyrii. Hanc docet Doct. loc. cit. quam sequuntur Recentiores passim, & probat, quia nullus excluditur à regno Cęlorum, qui facit illud, quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile: sed est possibile, aliquem usque ad instans aliquod existen-

*M. A. in Quart. Sentent.*

existentē in peccato mortali, ab eo instanti necessitati deinceps ad loto corde insistendum circā actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, utpote expositu martyrio arctissimo, ergo &c. & planè, ut inquit Amicus casum Scoti proponens, quis hunc, qui ex ardenti amore charitatis mortem propter Christum oppetiit, in æternum damnabit, eo quòd subita morte à Tyrannio præventus, formalem detestationem suorum peccatorum, quæ tum mentī occurrebant, formare non potuerit.

202 Confirmatur, quia licēt ad martyriū per se requiratur dolor formalis de peccati cōmissis, nihilominus probabile est, ex accidēti sufficere virtualē, qui clauditur in voluntate suscipiendi martyriū, & mortē sustinendi pro Christo; nam si volenti mori pro Christo peccata occurrerent, utiq; illa detestaretur, & hæc voluntas dicitur attritio virtualis, quia cōtinet aliquo modo peccatorū detestationem, & amorē Dei, nam illa volūtas videtur esse talis, ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret; Et sicut ad delenda peccata extra sacramentū per se quidem requiritur dolor formalis, & tamen in aliquo casu sufficit virtualis, ut quādo ignorātia intervenit, vel inadvertentia inculpabilis; tunc enim si aliquis eliciat actum dilectionis Dei super omnia ignorans, vel non advertens, se esse in peccato, dicitur ratione dilectionis Dei habere virtuale odiū, seū virtualē peccati doloré; ita in martyrio, quāvis per se loquendo dolor formalis requiratur de peccatis commissis; tamē ex accidente probabile est sufficere virtualem, ut benè Bonac. discurrit *disp.2.q.1.punct.1.* Deniq; cōmunis Ecclesiæ ritus hoc idem confirmat, nam nulla inquisitione facta de vita, & moribus, aut pēnitentia de peccatis commissis, fideles omnes, quos constat, voluntariè passos esse pro Christo, ut martyres celebrat, & cunctis fidelibus, ut tales venerādos, & colendos proponit; neq; exequias ullas, aut suffragia pro ipsis, sicut pro aliis mortuis fieri permittit; ergo sola voluntas patiendi pro Christo posita in effectu, juxta sensum Ecclesiæ Martyribus sufficit, ut intelligantur gratiā, & palmā martyrii consecuti: Et hoc censetur speciale privilegiū martyrii suprà sacramentū, quod aliqui sine prævia attrition formali non justificat, quia est medium commune, & ordinarium, ac proindē non nisi juxtà communem, & ordinariam regulam confert gratiam.

203 Sed contrà præcedentem doctrinam arguunt Auctores primæ opinionis, necessariam esse contritionem, & dilectionem Dei super omnia perfectam in adultis ad consequendam martyrii gratiam; quia martyrium includit in se actum perfectissimū charitatis, à quo effectus omnes martyrii procedunt; sic enim plures Patres verba illa Christi interpretantur Joann. 15. *majorem dilectionē nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Deinde quia nullibi in Scriptura extat talis promissio, quia Lucæ 12, & alibi, ubi promittitur salus Martyribus; promittitur solùm iis, qui perdūt animam propter Christum; atqui illi soli dici possunt perdere animam propter Christum, qui mortem subeunt ex amore Christi; ergo martyrium includit actum amoris. Deniq; ex Trid. *sess.6.c.4.* homo ante baptismum à peccatis non justificatur, nisi aut lavacro regenerationis, quòd fit per baptismum, aut ejus voto; post baptismum verò non nisi pēnitentiæ sacramento, vel ejus voto; ergo martyrium per se hominem non justificat, nisi vel in voto baptismi, si baptizatus non est, vel in voto sacramenti pēnitentiæ, si baptizatus est; hoc autem votum includit actum contritionis perfectum ex Concil. ibidem, & *sess.14.cap.4.*

204 Respondeo negando assumptum, quia indè sequeretur, martyrium parvulorum imperfectè, & analogicè tantùm esse martyrium respectu martyrii adultorum, quia hoc essentialiter aliquam essentialem perfectionem includeret, à qua propriè haberet, quòd sit martyrium, quam illud non includit; sensus autem verborum Christi Ioan. 15. regulariter quidem martyrium solere ex perfecta dilectione, & charitate procedere, sive ex suo genere, & objecto hoc esse opus eximiæ charitatis, & inter opera, quę homo exercere potest ex motivo charitatis, hoc esse excellētissimum; absolutè tamen loquendo, & in rigore exerceri potest sine motivo charitatis, etiamsi sit ex motivo virtutis; potest enim esse ex solo motivò fortitudinis, vel fidei, aut spei, aut alterius virtutis, unde Matth. 28. Christus ipse excitans suos ad fortiter subeundum martyrium ait, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & animā, & corpus perdere in gehēnam; & hoc autem motivum timoris gehennę non est perfectæ contritionis, sed attritionis, & similiter vers. 33. excitat eos ad idem martyrium subeundum spe gloriæ; ideòq; similibus cogitationibus sæpè sancti se excitabant, ut notat Coninc. cit. quæ sanè fuissent vanæ, si non potuissent esse Martyres, nisi mortem subijssent ex amoris affectu.

Ad Confirmationem negatur minor ob eandem rationem, quia, ut dixi, ad subeundum martyrium non semper est necessarium expressum, & formale motivum amoris Christi, & absolutè loquendo quilibet dicitur mori propter Christum, quantum sufficit ad rationem martyrii, qui in odium fidei, aut Christi occiditur, modò saltem volūtatem non habeat ita à Christo aversam; ut gratiæ obicem ponat, alioquin infantes dici non possent propter Christum pati, quod falsum esse, ostendemus art. seq.

Ad ultimum, si argumentum valeret, absolutè probaret, baptismum nullatenus per martyrium suppleri posse, nec pœnitentiam, nec in infantibus, nec in adultis, quod patet, esse falsum; quarè dicendum est, Concil. *loc. cit.* agere solùm de remediis ad justificationem ordinariis, non autem de extraordinariis, quale est martyrium; undè nec ibi mentionem facit de justificatione infantium per sanctificationem in utero matris, vel per mortem in odium Christi passam, cùm tamen etiam per hæc media infantes ab originali justificari valeant, licēt non regulariter; alia argumenta contrà hanc doctrinam art. præc. soluta sunt.

205 Deindè obiiciunt contrà id, quod diximus, in aliquo casu solam voluntatem moriendi pro Christo esse sufficiētem dispositionem ad veniam peccatorum obtinendam, & gratiam martyrii consequendam; quia talis nuda voluntas suscipiendi baptismum non sufficit peccatori sine formali contritione, vel saltem attritione annexa, etiamsi non advertat, se esse in peccato; ergo nec nuda voluntas suscipiendi martyrium pro Christo erit sufficiens absque contritione, vel saltem attritione formali.

Resp. negando paritatem, hoc enim est speciale privilegiū martyrii supra Sacram. Patres enim non solùm tribuunt martyrio æqualem virtutem baptismo, sed etiam longè maiorem; ut constat ex dictis, & ratio est, quia voluntas moriendi pro Christo est multò nobilior, & excellentior, quàm sola voluntas suscipiēdi baptismum, qui quoniam est medium commune; & ordinarium ad gratiam consequendam, proindē non nisi juxtà communem, & ordinariam regulam confert gratiam cum contritione annexa, vel saltem attritione, obicem peccanti auferente, & eius complacentiam; Verùm quamvis volūtas moriendi pro Christo sit multò nobilior, & excellentior, quàm sola voluntas suscipiēdi baptismū, & quamvis sit virtualis quædam dilectio Dei super omnia, quia per illam pluris facit Deum homo, quàm seipsum, & propriam vitam suam, non ob id est sufficiens dispositio pro gratia martyrii consequēda in quocumq; casu, ut contendebat secūda opinio ab initio art. cit. sed tantùm in casibus, jam à nobis insinuatis in ultima conclusione sub n.201. Etenim in aliis casibus repugnat, hominem habere actū dilectionis Dei super omnia formalem, vel virtualē, & peccata memoriæ præsentia non statim detestari, si potest, etenim si potest, & actu illa statim nō detestatur, signū est à posteriori, illum nō habere verū actum dilectionis Dei super omnia, nec formalem, nec virtualem, quia talis actus statim tollit malum ab amico, in quem super omnia fertur amore amicitiæ.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *An Baptismus infantium possit per martyrium suppleri.*

206 SEntentia negativa tribuitur Alensi *p.q.22. memb.5. art.1.* Adriano *in 4. q.ultim.de Baptismo lib.8.de q. Armen.c.37.* & D. Bonav. *4.d.4. in 2.2. p. dist. art.1. q.2.* ubi tamen apertè id non docuit, nec in eius libris hæc sententia reperiri potest, prout contestantur Suarez *d.29.sect.1.* & Vasquez *d.153.c.8.* & alii Recentiores, cuius sententię unicum fundamentum est, quia infantes censet esse prorsus martyrii incapaces, cùm sit actus virtutis fortitudinis, cuius parvuli non sunt capaces.

Communis, & vera sententia est affirmativa docens, infantes esse martyrii capacesseu baptismi sanguinis, quam tenet expresè Doct. *4.d.4.q.3. §. dicitur*, ubi docet, etiam infantes qui in utero cū ipsa matre propter Christū trucidantur, consequi eundē fructum martyrii, quē consequuntur, qui exclusi ab utero matris eodē titulo trucidātur, quod probat, quia si quis persequitur matrē gravidā eadem de causa persequitur parvulum in utero eius, ergo si mater occiditur pro justitia, similiter, & parvulus, si autem parvulos occideretur extrà uterum, haberet baptismū sanguinis, si pro justitia, vel fide occideretur etiā non baptizatus; ergo eodem modo rationabile est, quòd Deus non contemnat eum, pro simili causa in utero matris passum, hæc Doct. *loc. cit.* quo discursu supponit, de infantibus ab utero materno exclusis nullū esse dubiū, quin sint martyrii capaces; Hoc autem præsertim probari solet ex traditione Ecclesiæ, & SS. Innocentiū exemplo, quos Ecclesia, tanquā Martyres colit, & passim apud Patres pro Martyrib. habētur, undè inquit Aug. *3.de lib.arb.c 23. Non frustrà infantes illos, qui ab Herod. occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*, & ita eos appellant Chrysost. Cyprianus, Bernardus, Hilarius, Hieronymus, Beda, & alii Patres, quorum verba passim referunt Recentiores.

207 Respond. Primò, quòd licēt Ecclesia habeat Innocentes pro Sanctis, non tamen pro veris Martyribus, quia non sunt voluntariè passi pro Christo. Sed Contrà, quia non tantùm relati Patres eos, tanquam Sanctos, & veros Martyres declarant, sed etiam ipsa Ecclesia in eorum officio, in hymno enim inquit, *Saluete flores Martyrum*, & rursus in oratione, *Deus cuius præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Tùm quia nulla potest assignari causa, cur habeat illos Ecclesia pro Sanctis, nisi solū martyriū; ac proindē si nō essent veri Martyres, nec verè essent Sancti, volūtaria autē acceptio martyrii, licēt necessariò requiratur in adultis, ut suprà dictum est, non tamen, in infantibus usu rationis carentibus eo quòd plus requiritur ab eo, qui est sui juris, & libertatis, quàm qui libertatis usum non habet; undè sicut baptismus absque actu interno adultum non justificat, qui tamen justificat infantem absque ullo actu; ita quoq; martyrium, quod baptismo succedit, licēt absque actu interno adultum non justificet, justificat tamen infantem, nec est maior ratio de uno, quàm de alio.



208 Resp. secundò, falsum esse, nullā posse assignari causam, cur habeat illos Ecclesia pro Sanctis, nisi solum martyriū; nam potest assignari Circumcisio, per quā primā gratiam acceperunt, & ab originali mundati sunt, quarè fuerunt sanctificati per circumcisionē Sed hæc quoq; solutio communiter reiicitur, ut manifestè contrà sensum Ecclesiæ, quia non omnes illi infantes circumciū fuerunt; constat enim ex Evangelico textu, occisos esse omnes à bimatu, & infrà, quotquot erant in Bethleem, & finibus eius, atq; ideò plures antè octavum diem sunt occisi, imò non pauci eodem ipso die, quo sunt nati, & verisimile est, fuisse etiam occisos plures infidelium filios: cùm ergo omnes indiscriminatim, ut adorandi proponantur, nequit sola circumcisio assignari, ut causa sanctificationis, & adorationis eorum. Tùm quia præcipua, & principalis causa, ob quā regnū cœleste obtinuerunt, & ut Sancti, & veri Martyres ab Ecclesia venerantur, est mors in odium Christi ab Herode illata, & ab ipsis patientes tolerata, ut constat ex hymno, quē in eorū festo canit Ecclesia; sed hæc mors communis fuit, & æqualis, tàm circumcisis, quàm incircumcisis; ergo &c. Tùm tandē quia relati Patres, & præsertim D. Leo *serm.1. de Epiphania ante finem*, clarissimis verbis ostendunt SS. Martyres Innocentes, non ratione Circumcisionis, sed ratione mortis Martyrii ad palmam gloriæ cœlestis pervenisse.

209 Resp. tandem, eos non virtute martyrii, sed ex speciali privilegio illis facto, salvos factos fuisse, quòd confirmant testimonie B. Laurentii Iustiniani, qui sermone de festo SS. Innocentium causam salutis eorum non refert ad ipsorum mortem pro Christo, passam, sed ad misericordiam Dei; sed neque hæc responsio, vel potiùs evasio subsistit, nam, Ecclesia, & Patres citati neque in Circumcisionem, neque in aliquod aliud privilegium speciale illis infantibus factum refert eorum salutem, sed in martyrium, quod subierunt, nec de eorum Circumcisione fit quidem verbum, sed tantùm de morte, & martyrio, neque enim ab Ecclesia dicuntur Innocentes, Christum confiteri, quia circumcisi sunt, sed quia mortui sunt propter Christum; ergo id sufficit ad salutem quibuscumque infantibus, quia est eadem omnium quoad hoc conditio. Neq; allatum B. Laurentii testimonium contrariæ favet sententiæ, cùm ibidem de Innocentibus dicat, quòd *nec corde credebant ad justitiam; nec ore confitebantur ad salutem. & tamen martyrii adepti sunt palmam*, intantùm autem eorum salutem non tantùm refert ad ipsorum mortem, sed etiam in Dei misericordiam, non quia nullo habito respectu ad ipsorum mortem pro se passam, illos Deus coronaverit, sed quia præalis, qui diù in certamine pugnatunt, gratis quodammodo hi coronati videntur, cùm vix nati martyrii palma sint coronati, ut expresè ex eodem textu colligitur.

210 Hic tamen advertendum est, quòd quando dicimus Ecclesiam, & Patres causam salutis Innocentium referre in mortem ipsorum pro Christo passam, non verò in Circumcisionem; non ob id negare intēdimus, quòd qui ex eis circumciū fuerunt, non fuerint etiam per Circumcisionem sanctificati, sed solùm, quòd præcipua, & principalis causa sanctificationis eorum ab Ecclesia, & Patribus refertur in mortem ipsorum pro Christo passam; Undè consequēter fatendum est, maiorem gratiam consecutos fuisse infantes, qui circumciū necati sunt, quàm qui non circumciū, ut hic advertit Amicus, quemad modum maiorem utique gratiam consequeretur infans, qui post baptismum martyrium pro Christo subiret, quàm qui antè baptismum, siquidem qui circumcisus, vel baptizatus mortem pro Christo suffert, duplicem consequitur gratiam, Circumcisionis nempè, vel baptismi, & postea martyrii.

Sed quamvis hæc ratio ab exemplo Innocentium deducta, qui Martyres ab Ecclesia dicūtur, sit apud omnes plausibilis, & ab omnibus recepta, eam tamen, tanquam esset solius Vasq; reiicit, ut invalidam Brancatus noster *disp.13.art.6.* quia illa coniectura, quòd aliqui ex illis non essent circumcisi, est sine fundamento, quia Herodes ideò pueros occidit; ut inter eos inveniretur Messias regnaturus, ex Magorum dictis, à quibus acceperat, eos advenisse ad adorandum natum Regem; at Magi ex longissimis Orientis regionibus venerunt, multumque tempus in itinere insumpserant; undè coniecire potuit Herodes multis antè diebus, & fortè mensibus natum Regem ab eo odio habitum; ergo non est verisimile, præceptum occionis fuisse usq; ad infantes octo, vel decem dierum excendendum. Tùm quia diceret quis, in tali casu necessitatis fuisse illis applicatum remediū, vel circumcisionis, si poterat accelerari in necessitate, vel legis naturæ, quo fortè in tali casu utebantur. Tùm tandem dici posset, incircumcisos, si qui essent; non computandos inter Martyres, quod tamen ipse asserere non audet. Deinde ait, Patrum auctoritates adductas, præsertim verò D. Leonis ser. 1. & 2. de Epiphania, & D. Aug. cit. nihil prorsus ad rem facere, nisi in commendationem illius martyrii, scilicet, quòd nihil inquum operantes martyrium passi sunt, sed nullum habet verbum de parvulis non baptizatis, aut incircumcisis, neq; asserunt, martyrium eis profuisse loco baptismi, aut circumcisionis: concludit, nullum Patrum, quos vidit, id clarè dixisse præter Bernardum *serm.66. in Cant.* dicentem; *meritò, Ecclesiam præsumere non solùm parvulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam martyrii.* Denique id ipse probat ratione, quia parvuli sunt capaces baptismi in deletionem originalis: ergo etiam martyrii; consequentia probatur, quia adultus patiens martyrium consequitur effectus illius, non ex opere operantis, sed operato, licēt aliqua dispositio in eo requiratur, sicut etiam in baptismo; ergò cùm hoc opus operatum etiam parvulo applicetur, cùm in hoc nulla requiratur dispositio, sicut nec etiam in baptismo, suum effectum ei confertet.

211 Cęterum omninò falsum est, quòd illa conjectura, quòd aliqui ex illis infantibus nō essent circumcisi, sit sinē fundamento, siquidē ut suprà dictū est, fundatur in Evangelico textu dicente, occisos esse omnes à bimatu, & infrà sine ulla specificatione, vel limitatione istius inferioritatis ad bimatum, & occisos esse quotquot erant in Bethl., & finibus ejus sub tali inferioritate: cùm ergo evāgelicus textus ita absolutè loquatur, & sine ulla exceptione, fundatissima est conjectura, quòd multi ante octavum diem fuerint occisi, & non pauci eo ipso die, quo nati sunt, & sine ullo fundamento asseritur oppositum. Imò hoc totum clarissimè, & ore rotundo asserit S. Leo ipse serm. 1. de Epiphania, ex quo dicebat, nihil ad rem colligi; sic ergò ibi loquitur de Herodis edicto. *Necari omnes Bethleem parvulos jubet, & quoniam quem metuat, nescit infantem, generalem sævitiam in suspectam sibi tendit ætatem: sed quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit Cœlo, & quibus nondū sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatē.* Hæc ibi S. Leo, quibus non tantùm docet, illos infantes fuisse martyrii corona decoratos, sed simul omnes Bethleemiticos infantes hanc dignitatē fuisse consecutos, nam omnes fuerunt de mandato Herodis occisi; videat modò Brancatus, an verisimile sit, præceptum occisionis infantium ab Herode mandatum fuisse usq; ad infantes octo, vel decem dierum extendendum; ergo non tantùm circūcisi fuere martyrii corona decorati, fed etiam incircumcisi; neque in illis nempè circumcisis causa eos colendi est sola sanctitas in Circūcisione collata, sed dignitas, & corona in martyrio donata; Alias duas evasiones, quas addit, fatetur & ipse nullius esse momēti, dum ait, posse dici, in tali casu necessitatis fuisse incircumcisis applicatū remediū circumcisionis antē octavū diem; vel incircumcisos inter Martyres non esse computandos; nam dubitativè, & conditionatè loquitur si poterat accelerari circumcisio in tali casu necessitatis, & addere poterat; si sævitia, & barbaries satellitum hoc permisisset, & fatetur, se non tenere, incircumcisos, si qui essent, inter Martyres nō esse cōputandos; hoc, inquam, rationabiliter fatetur, quia oppositū ab omnibus censetur temerariū, & erroneū, quia Ecclesia omnes infantes de mandato Herodis occisos indiscriminatim proponit adorandos, & omniū passio colitur, quæ si nihil ipsis gratię, & sanctitatis cōtulisset, non esset materia cultus specialis.

212 Neq; etiam illa sua ratio ex paritate baptismi desumpta ab omni censura est libera, cùm inquit, quòd sicut opus operatum baptismi applicatum parvulo suum confert effectum, quia in eo nulla requiritur dispositio; ita opus operatum martyrii, si parvulo applicetur, suum producet effectum ob eandem rationem; sic enim discurrendo supponere videtur, quòd martyrium gratiam conferat, prout est opus ministri, necem inferentis, ac veluti ex institutione divina, eo modo, quo sacramenta gratiam conferre dicuntur, quod suprà n.186. falsum esse diximus, quia sacramentum est actio sacra, & sancta, & ad cultum Dei ordinata, & à Christo instituta; undè applicata parvulo suum confert effectum activè, quatenus à Deo elevatur ad causandam gratiam non sic autem actio martyrii, quæ potiùs de se actio impia, & sacrilega, undè non confert gratiam activè sacramentorum more, sed tantùm passivè, quatenus patienti martyrium promisit Deus ex speciali privilegio gratiam conferre: & licēt gratis concedamus, quòd gratiam confert ex opere operato, non tamen activè, sacramentorum modo, ut in ratione adducta significatur saltem in modo loquendi, sed tantùm passivè modo iam declarato.

213 In oppositum arguitur Primò, quia martyrium est actus virtutis, nempè fortitudinis elicitivè, & charitatis impetrativè, sed infantes nullum virtutis actum elicere possunt, cùm usum rationis non habeant, ergo &c. Confirmatur, quia in martyre dēbet esse fides, & confessio, ac intentio suscipiendi martyrium; sed in infantibus hæc locum non habent, nam cùm usu rationis careant, sicut nec malum respuere, ita nec bonum eligere sciunt. Tandem, quando etiam martyrii essent capaces, tamen martyrium sine baptismo illis prodesse non potest juxtà regulam generalem. *Nisi quis renatus fuerit*; nec juvat dicere, sufficere tali casu baptismum saltem in voto, quia id locum habet in adultis tantùm non in infantibus.

Respondeo, martyrium dupliciter considerari, posse, vel quoad actum virtutis internum, vel quoad opus mortis externum, & quidem

*Meld. in Quart. Sentent.*

quidem tantæ est excellentiæ, ut vim habeat non solùm salvandi eos, qui actus interioris virtutis sunt capaces, sed etiam qui sunt capaces solùm exterioris operis mortis, & hoc ex speciali privilegio propter physicam, & realem conformitatem, quam habet cũ passione, & morte Christi, quod ex illa universali promissione à Christo facta deducitur, *qui me confessus fuerit*, quę etiã ad infantes extenditur ex cõmuni sensu Ecclesiæ, & Patrum; licet enim infantes Christum nequeant ore confiteri, saltem opere ipsius mortis confiteri possunt, juxtà illud, *non loquendo, sed moriendo confessis sunt*; quamvis ergò infantes quoad actum virtutis internũ nõ sint martyrii capaces, sunt tamen capaces quoad actum externum mortis. Ad Confirmationem patet per idem, quia licèt in infantibus esse nequeat fides, & confessio cordis, & oris, potest tamen esse mortis, & operis, qua ratione de Innocentibus dicitur; quòd non loquendo, sed moriendo confessi sunt; & quidem ad baptismum non minùs fides, & confessio requiritur, quàm ad martyrium, ubi defectus ætatis, & impossibilitas non excusat, juxtà illud Matthæi, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, undè Aug. *lib.4.* contrà Donatistas *cap.24.* utriusq; necessitatem ostendit; at infantes, & à fide cordis, & à confessione oris excusat ob defectum ætatis, pro quibus alii proindè spondent, & respondent in baptismo, sed in martyrio ait, eorum sanguinem, & mortem substitui confessioni oris, & fidei cordis, unde dicuntur, non loquendo, sed moriendo Christum confiteri. Ad ultimum per illam regulam generalem insinuatur absoluta necessitas baptismi fluminis, quando adest possibilitas; attamen non excluditur in aliquo casu speciale privilegiũ baptismi sanguinis, seù martyrii per illa Christi verba publicatũ, *qui me confessus fuerit*, quę quidem confessio non tantùm verbo fieri potest, sed etiam facto, & opere, & ideò non tantùm in adultis, sed etiam in infantibus potest locum habere.

214 Petes, an baptismus infantium alio adhuc modo præter martyrium suppleri possit. Cajet. *3.p.q.68.art.2.& art.* 11. dixit, in necessitate suppleri ad huc per fidem parentum infantibus applicatã per signum Crucis cum invocatione Trinitatis, & hoc etiam modo succurri posse infantibus in utero Matris existentibus. Cõmunis tamen sententia tàm Patrum, quàm Conciliorum, & Scholasticorum docet, excepto martyrio, non dari aliud remediũ pro parvulis, supplens vicẽ baptismi in casu impotentiæ, adeòut Cajetani opinio omissa est jussu Pii V. in Commentariis Romæ impressis, & facilè deducitur ex iis, quę in Scriptura habentur de necessitate baptismi, ut Joan. *3. Nisi quis renatus fuerit, &c.* quę est regula generalis quoad omnes, quibus baptismus in re, vel in voto, aut certè æquivalens, aut baptismus sanguinis; aut flaminis applicari nequit, eamq; perpetuò supponit Augustinus contrà Pelagianos, & præsertim de bono perseverãtiæ *cap.12.* ostendit, hoc votũ, & desiderium, & fidem parentum nihil prodesse parvulis, Et denique Trid. *sess.5.c.3.* docet, excepto casu martyrii, nõ posse parvulis subveniri, nisi per meritum Christi applicatum per baptismum, & idem habet *sess.6.c.4.*

Sed dices, fides non fuit majoris efficaciæ in veteri testamento, quàm in novo, sed in veteri testamento sufficiebat fides parentum applicata parvulis per aliquod signum externum; ergo etiã hoc in novo sufficit. Respond. fidem parentum applicatam parvulis in veteri testamento suffecisse ad salutẽ, non tàm ratione fidei, quàm ratione sacramenti; sola enim fides sine externo sacramẽto sufficere non poterat, unde sacramentum erat causa justificationis, fides autem parentum se habebat per modũ dispositionis; undè sicut in veteri testamento sufficiebat sacramentum fidei, etiam & modò sufficit, hoc solùm interest, quòd sacramentum fidei non fuerit tunc determinatum ad certum signum externum pro omnibus utriusque sexus, præsertim in lege naturæ, nunc autem determinatum est ablutionem aquæ cum certis verbis. Unde quia in lege naturæ sacramentum originalis culpæ deletivum fuit exterior fidei protestatio à parẽtibus facta, ut notat Doct. *d.1.q.7.* ideò semper parvulis proderat, quòd si hanc facere non potuissent, quia muti, vel ignorantes illam, estò internam fidem pro parvulis applicassent, nihil tamen eis prodesse poterat, sed sine remedio remansissent, & sic etiam de Circumcisione dicendum.

215 Dices rursus, votum baptismi sufficit adultis; ergò cùm infantes sint proprii voti incapaces, saltem votum parentũ illis sufficere debet, nam, ut dici solet, voluntas Patris pro voluntate filii habetur, & reputatur. Resp. negando consequentiam, ad probationem dicendum, illud commune dictum verificari solùm in iis rebus, in quibus Pater est caput filii, non autem in iis, in quibus se habet, ut privata persona, & sunt ejusdem ordinis: sic autem res se habet in justificatione, & rebus ad salutẽ spectantibus, quòd filius, & Pater sunt ejusdem ordinis, nec unus est caput alterius; sed omnium caput est Christus, cujus omnes, & singulis sunt membra juxtà illud Apost. Ro. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo, &c.* Plura alia hic tractari solent de Baptismo, quæ potiùs spectant ad Theologiam moralem, & questiones circà casus Conscientiæ, ac proindè pro sequenti Tomo reservo, qui totus erit de Casibus conscientiæ, & ultimus totius Theologici cursus, si Deo placuerit.

## QUÆSTIO OCTAVA.

### *De sacramento Confirmationis.*

216 De fide est, Confirmationis sacramentum esse unum ex septem novæ legis sacramentis; ita definitum est in Conc. Florent. in decreto de unione Armenorum *§. secundum.* & postèà in Trid. *sess.7.can.1.de sacramentis in genere, & can.1.de Confirmatione*, quæ veritas manifestè etiam ex Scriptura deducitur Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spir.S.* ubi Eugenius IV. in Flor. cit. per manus impositionem intelligit Chrismatis unctionem, & per accipere Spir. S. intelligit donum gratiæ sanctificantis; ex quo loco evidenter colligitur, hoc sacramentum esse à baptismo condistinctum; ait enim sacer textus de Apostolis loquens. *Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spir.S. nondum enim in quem quam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.* Et hoc idem probatur pluribus, & expressis SS. Patrum testimoniis Dionysii, Clementis Rom. Urbani I. Origenis, Tertulliani, Cypriani, Paciani, August. Grægorii, & aliorum, quorum verba passim Recentiores referunt.

217 Nec obstat, inquit Scotus 4. *d.7.q.1.* infra lit. C. quòd ex nullo sacræ Scripturæ loco institutio huius sacramenti possit expressè, & efficaciter deduci; supponitur enim, institutum esse à Christo licèt tempus, & modus institutionis in Scriptura non legatur, fortè quia Historiographi scripturam usque ad tempus illud nõ produxerunt; nec est improbabile, inquit Doctor, multa esse tradita auctoritativè à Christo Ecclesię per Apostolos, quę tamen in Scriptura non legimus ut dicit Damascenus *lib.4.cap.4.* & plura de fide credimus, quæ ex Scriptura non constant, sed ex perpetua Ecclesię traditione juxtà illud Pauli 2. ad Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; huius autem sacramenti institutio ex perpetua Ecclesiæ traditione nobis constat, quam nobis scriptam plures Pontifices reliquerunt, & Patres, quos latè referunt Recentiores, Bellarminus, Suarez, Amicus, & alii. Quamvis autem ex Scriptura non constet de tempore, & modo institutionis huius sacramentis, communis tamen, & satis probabilis opinio est, quòd in nocte Cœnæ fuerit à Christo Domino institutum in qua Christus Apostolos instruxit de hoc, & aliis sacramentis ministrandis, quam sententiam expresè tradidit Fabianus Papa Epist. 2. cap. 1. dùm ait; *In illa die Dominus Iesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt. Chrisma conficere doquit*; ubi per Chrisma sacramentum Confirmationis intelligitur, quod totum posteà confirmavit Catechismus Romanus de sacramento Confirmationis. Ubi tamen advertendum est, quòd licèt ea nocte Apostolos docuerit Chrisma conficere, satis tamen rationabile est, nemini eorum tunc temporis datam esse potestatem conferendi hoc sacramentum, quia nondum Apostoli in ultima Cœna instituti erant Episcopi, ad quos tantùm spectat hoc ministrare sacramentum; sed Christum eam Apostolis contulisse post resurrectionem Joann. 20. cùm dedit eit plenariam potestatem Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, quando dixit, *accipite Spiritum Sanctum, &c.* de quo plura videri possunt apud Brancatum *tom.3. disp.1.* Centinum *disp.1. cap.1.* & Aretinum *4.d.7.q.1. art.1. & 2.* Restat ergo ut videamus, quæ sit essentialis materia, quę essentialis forma, & qui idoneus Minister huius sacramentis, quod articulis sequentibus expediemus ex doctrina Scoti *loc. cit. 4.d.7. quæst.* 1. ubi breviter, sed exactè totam hanc resolvit quæstionem.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quæ sit essentialis materia huius Sacramenti.*

218 In hac quæstione conveniunt Catholici omnes, materiam huius sacramenti remotam esse Chrisma, hoc est, oleũ balsamo mixtum, & ab Episcopo consecratum; materiam verò proximam esse unctionem Chrismatis, hanc autem unctionem fieri debere ad figuram crucis in fronte hominis baptizati cum impositione manus Episcopi; ita Scotus *loc.cit* ab initio quęst. quod totum definitum fuit in Conc. Flor. cit. & licèt nõ habeatur in sacris literis expressum, tamen traditione ipsa Ecclesiæ, & praxi satis cõstat, quæ etiam sufficit ad reddendam rem, tanquam de fide certam, Et quidem quantum attinet ad materiam proximã, quòd in unctione consistat, nomen ipsum Chrismatis ostendit, quo hoc sacramentum solet etiam communiter appellari, nam Chrisma græcè est latinè unctio, & Paulus 2. ad Corinth. 1. inquit, *qui confirmavit nos Deus, & unxit nos.* Ratione etiam explicat Doct. *q.cit.* in fine convenientiam materię remotę, quia nimirùm Chrisma habet similitudinem cum effectu huius sacramenti; oleum enim nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis, & est materia proxima incendii; per primum significat castitatem, vel munditiam; per alia duo significat charitatem; & balsamum, quod habet

bonum



bonum odorem, significat bonam famam juxtà illud 2. Corinth. *Christi bonus odor sumus*, balsamo etiam corpora mortuorum condiuntur, ne putrefiant, ideò significat incorruptionem: per illam ergo materiam scilicet, Chrisma confectum ex oleo, & balsamo significatur, quòd confirmatus debet habere munditiam, & charitatem, & bonam famam, quia sine istis non est multum authentica confirmatio fidei Christianæ. Sed pro maiori huius rei notitia restant aliquæ difficultates enucleandæ, in quorum solutione non omnes conveniunt.

219 Prima Difficultas est, an manus impositio sit materia ad hoc Sacram. requisita, quoniam Apostoli, ut ex eorum Actis colligitur dùm confirmavant, manus imponebant, quia dabant Spir. S. & baptizatos cõfirmabant super eorum capita manus imponentes; undè hoc Sacr. ab antiquis vocabatur Sacr. impositionis manuum.

Quidam antiquiores dixerunt solam Episcopalis manus impositionem esse materiam essentialem huius sacramenti, quod probãt ex facto Apostolorum, qui ut legitur Actor. 8. & 19. per solam manuum impositionem hoc sacramentum ministrabant, nulla mentione facta de Chrismate, aut alia materia; ergo sola manuũ impositio est essentialis materia huius sacramenti; Consequentia patet, quia neq; Apostoli potuissent absq; essentiali materia hoc Sacr. conficere, cum essentialis sacramentum materia ab Apostolis non pendeat, sed à Christo, qui potestate excellentiæ materiam, & formam omnium sacramentorum instituit; ergo si Apostoli sola manuum impositione usi sunt ad hoc sacramentum conficiendum, sola manuum impositio est essentialis materia illius.

220 Dicendum tamen est; nullam manuum impositionem ab ea condistinctam, quæ requiritur in ipsa sacri Chrismatis consecratione, esse essenatialem huius sacramenti materiam; Ita Scotus *loc.cit.* in solutione ad primam obiectionem sub lit. C. & fundamentum habet in Conc. Florent. ubi Eugenius IV. in decreto unionis Armenorum dicit; *loco illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia Confirmationis Sacramentum*, hoc est, sacri Chrismatis unctionem; undè in Pontificali Romano huius manus impositionis nulla prorsus fit mentio præter eam, qua Chrismatis unctio in modum Crucis applicatur in fronte confirmandi, & eadem planè veritas ex ritu græco colligitur, in qua etiam præter Chrismatis unctionem nulla alia manus impositio adhibetur.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ de facto Apostolorum ab initio nascentis Ecclesiæ Bellarm. *lib.2. de sacram. Confirmationis c.9.* cum Thoma Valdensi inquit, Apostolos etiam tunc temporis in conferendo hoc sacramento semper usos fuisse Chrismate, ac proinde illam manuum impositionem semper coniunctam fuisse cum Chrismatis unctione, quia qui eo fidelẽ ungit, hoc ipso super eum manum imponit, quod probat, quia negari non potest Apostolos usos fuisse Chrismatis unctione ut Dionysius, & Clemens Roman. testantur; tùm quia eiusdem unctionis meminerunt antiquissimi Patres, tanquam rei per traditionem acceptæ; tùm tandẽ quia apud Patres idem est sacramentum Chrismatis, & impositionis manuum, quod enim in uno loco appellant Chrisma in alio vocant manuum impositionem; & hanc solutionem, & explicationẽ facti Apostolorum ait Hiquæus 4. *d.7. q.in Commentario n.*75. esse aliis præferendam, veluti quæ maiorem dat efficaciam argumentis quibus contrà hæreticos probari solet veritas huius sacramenti ex Scriptura, & Patribus, ideoque videtur magis sequenda, quia neque ratio, neque auctoritas Scripturæ, aut Patrum aliud cogit; Quod enim in Actis non legitur aliud, quàm manus impositio ab Apostolis facta, nequit hoc interpretari exclusivè ad materiam, & formam à Christo institutam, alioquin infirmatur fundamentum probandi ex Scriptura hoc sacramentum, quod est inconveniens. Et quidem hæc quoque explicatio mihi valdè placeret, nisi obstaret auctoritas Conc. Florent. in decreto supracitato, dum ait loco manus impositionis, qua utebantur Apostoli successisse in Ecclesia Confirmationem, hoc est, Chrismatis unctionem; etenim his verbis, ut notat Amic. *d. 13. sect.2.* apertè significat Concilium, aliam fuisse manus impositionem, quam tunc Apostoli adhibebant, ab ea, qua nunc utitur Ecclesia, alioquin non benè diceretur loco illius nunc succedere Chrismatis unctionem, quia ut una res propriè alteri dicatur succedere, debet esse diversa ab ea, cùm nulla res sibi succedere dicatur.

221 Præstat itaque respondere cum Scot. *loc.cit.* hoc fecisse Apostolos ex singulari dispensatione, & speciali Christi privilegio, pro eo solùm tempore, quo Spir. S. suprà fideles sub visibilibus signis descendebat, at proinde tunc nõ erat necessaria sensibilis materia sacramentalis; Quando verò huiusmodi visibilia signa cessarunt, usi sunt Apostoli Chrismate in huius sacramenti collatione quam etiam expositionem dedit D. Thom. *q.62. art.2.* & ut meliorem amplectitur Amicus *loc. cit.* Neque oppositum convincunt Bellarmini rationes, probant enim tantùm aliquando utique Apostolos adhibuisse Chrismatis unctionem in huius sacramenti collatione, quod utrò concedimus, præsertim quando signa illa visibilia cessarunt, ut inquit Doctor, quibus Spiritus Sanctus visibiliter in confirmatos descendebat; probabile enim est non toto tempore Apostolorum duraße modum illum dandi Spiritum Sanctũ

*Meld. in Quart. Sentent.*

confirmatis visibiliter, & cessantibus talibus miraculis, debuerunt Apostoli materiam adhibere jam à Christo institutam; Et ulteriùs addendum est, quòd quando manuum impositione utebantur, non erat sacramentum, sed ex speciali dispensatione eo modo conferebant rem hujus sacramenti scilicet Spiritum Sanctum: quando verò utebantur unctione Chrismatis, & cõferebant gratiam Spiritus Sancti, tunc confirmatio illa erat sacram. & licet manuũ impositio à SS. Patribus Confirmatio appelletur, & sacramentũ; non tamen erat verũ sacramentũ, sed sic appellabatur, quia rem Sacramẽti Cõfirmationis conferebat, sicut & Confirmatio nostra à SS. Patribus manuũ impositio appellatur, quia eundem confert effectum, quem illa manuum impositio conferebat, quod totum benè notavit Faber *disp.27.cap.2.* ex qua doctrina etiam satisfieri potest Coninchio oppositũ sentienti *q.72.art.3.dub.2.* de quo fusè Cent. *disp.2.cap.2.*

222 Secunda difficultas est, an materia Confirmationis sit Chrisma ex oleo, & balsamo compositum; quamvis enim concedãt omnes ex his duabus partibus oleum quidem esse simpliciter de necessitate hujus sacramenti, oleum in quam, commune, & naturale de olivis expressum, quod simpliciter in communi usu appellatur oleum; aliqui tamen dixerunt, quod balsami admixtio est quidem de necessitate præcepti, non tamen de necessitate sacramenti, & solùm ex præcepto requiri balsamũ in materia Confirmationis, quod quidem aliqui volunt esse divinum, alii verò Ecclesiasticum, & explicant eo modo, quo in sacramento Eucharistiæ commixtio aquæ in calicem est de præcepto; ita quod si Epi scopus confirmet adhibendo solum oleum à se benedictum absq; ulla balsami mixtione, sacramentum quidem valeat, licèt ipse peccet; sicut in consecratione Calicis requiritur quidem ex præcepto aqua vino mixta, tamen solum vinum est materia sufficiens ad validitatem consecrationis, & sacramenti; ita Cajetanus, Navarrus, Victoria, Valentia, Soto, Barbosa, Covarruvias, Baldius, & ex nostris Ferchius, & alii quamplures.

Fundamentum est, quia Innocentius III. *cap. Pastoralis extra de sacramentis non iterandis*, interrogatus, an sacramentum Confirmationis in solo oleo collatũ sit validũ, respondet in talibus nihil esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissũ; si autem balsamum esset materia essẽtialis Confirmationis debuisset totum sacramentum in eo casu iterari; Deinde quia Eugenius IV. in suo decreto in Conc. Flor. ita dixit aquã debere vino admisceri in sacramento Eucharistię, sicut balsamũ oleo in Cõfirmatione; sed hoc non obstante vinum sine aqua est materia sufficiens in Eucharistia; ergò sic pariter oleum in Confirmatione sine balsamo. Rursus materia sacramenti debet esse clara, & certa, de qua nemo dubitare possit, ut patet in materia Eucharistiæ, Baptismi, extremę Unctionis, & aliorum sacramentorum; at difficilè est invenire verum, & genuinum balsamum, imò multi putant nusquam jàm verum reperiri, siquidem jam olim Plinius lib. 12. naturalis historiæ notavit, in uno tantùm, vel altero loco Orbis reperiri scilicet Judæa, & Mesopotamia, hoc saltem ex omnium sententia certũ est, illud facillimè adulterari solere, Denique materia sacramentorum debet esse communis, & facilis, nec constituti debet in liquore pretioso, & rato, qui non facilè invenitur, cujusmodi est balsamũ; imò in primitiva Ecclesia vix credi potest, paupertimos tunc discipulos commoditatem balsami habuisse ad hujus sacramenti usum.

223 Communis tamen sententia, à qua recedendum non est docet essentialem hujus sacramenti materiam non esse simplex oleũ, sed cum balsamo mixtum; Ita expresè D. Bonav. *d.7.p.1.q.2.* Alensis, D. Thomas, & Doctor. *loc. cit.* dùm ait materiam remotam hujus sacramenti esse Chrisma cumpositũ ex oleo olivarum, & balsamo, & hoc quidem de necessitate sacramenti, ut explicant ibi Faber, Hiquæus, Poncius, Centinus, Brancatus, & alii Scotistæ passim cum omnibus ferè Recentioribus; nec aliud post Flor. Concil. sustineri posse videtur, cùm absolutè doceat *loc.cit.* materiã hujus sacramenti esse Chrisma ex oleo, & balsamo confectum; Nec explicari potest Concilium de necessitate præcepti quoad balsamũ, non verò de necessitate sacramenti; Nam sic dicendo revocari posset in dubium materia cujuslibet sacramenti ex pluribus constans, quin etiam an oleũ saltem olivarum sit necessarium, quia aliud sufficeret, vel nullum prorsus, sed solùm balsam um; Tùm quia Concilium ibidem materiam non necessariam, sicut & formam declarat, tamquam talia, ut v.g. quòd mixtio aquæ in calice sit tantùm de præcepto Ecclesiastico; quòd consecratio in pane azimo, vel fermentato perindè facit ad subsistantiam sacramenti Eucharistiæ, & materiam ejus, quòd sive quis utatur in baptismo forma Latinorum, aut Græcorum, validè baptizat, Dùm autem assignat materiam sacramenti Confirmationis loquitur absolutè, & sine ulla limitatione asserens esse Chrisma ex oleo, & balsamo compositum, ergo intelligit de materia necessaria necessitate sacramenti; Undè omninò falsum est eodem modo locutum esse Concilium de mixtione aquæ cum vino in calicis cõsecratione, & mixtione balsami cum oleo in Confirmatione, nam loquẽdo de materia Eucharistiæ vinũ de vitę absolutè dicit esse materiã, cui posteà addit, ratione mysterii, aquã debere misceri, quę verba denotãt solùm vinum esse materiã, & posteà addendam esse aquam veluti de necessitate præ-



cepti;